NAZIONALE
12
12 P
36
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
4 B
R 1

26

12
13
e
7

DISSERTATIONVM MEDICARVM

BARTHOLOMÆI SANTINELLI

R O M A N I

Philoſophiæ, & Medicinæ Doctoris.

D E C A S

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

PETRO OTHOBONO

S. R. E. CARDINALI

Vicecancellario &c.

D I C A T A.

Bibl. S Pudent. 1708.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Io: Franciſci de Buagnis. M.DC.XC.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMIN.ME PRINCEPS.

ADITVM confidentiæ præbet humanitas, & addunt obſequioſæ gratitudini ſtimulos beneficia. Illam ab Eminentia Tua in omnes profuſam veneror, hæc in me cumulata glorioſus agnoſco: Illa cum honorum, ac dignitatum celſitudine æqualiter creuit, ità vt in Te cum omnium plauſu ſtatim celebrauerit Roma *Plin. in paneg. Traian.* (quod olim in Traiano) mixtum cum ſecuritate imperantis incipientis pudorem, ac Te ſpatio temporis auctum, quotidiè ſimul admirabiliorem, & meliorem comendet: Hæc verò tanta ſunt, vt non quidem merita, ſed & deſideria videan-

tur excedere; cum me, non ſolùm amanter exceperis, ac benignè reſpexeris, ſed cooptaueris inter ſeruos, ac Tuæ ſaluti regendę prępeceris. Geſtit igitur animus dùm iſta conſiderat, modumque inceſſanter exquirit, quo ſe dignum, quo ſe gratum oſtendat, cumque Eminentiæ Tuę iam ſe totum deuouerit, dicat etiam ſua ſtudia. In hiſce Diſſertationibus Medicis accipe PRINCEPS EMINENTISSIME; ſi non quod Tuæ virtuti, ac magnificentiæ debetur, ſaltem quod mea poteſt offerre tenuitas. In ſinum humanitatis Tuæ ſeſe deuoluunt, in quo & amoris inuenient officia, & ſecuritatis fęlicitate gaudebunt. Quod ſi prò Reipublicæ bono, aut Philoſophos regnare conuenit, aut Reges philoſophari, erit profectò optima ſortis meæ conditio, & Principi, virtutum, ac ſcientiarum amantiſſimo, inſeruire, & labores hoſce meos obtuliſſe Philoſopho, qui doctrinarum profunditati iungit elationem regiminis:

Plato 5. de Republ.

Hoc

Hoc Eminentiæ Tuæ precor longiſſimum, noua ſemper proſperitate, nouiſque honoribus auctum. Vale.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, & Obſequentiſſimus Seruus
Bartholomæus Santinellus.

LECTOR.

VOLVMEN, aut mole venerandum, aut titulo ſpecioſum, aut nomine Authoris percelebre hic non habes, ſed paginas numero paucas, titulo ſimplices, Authore vulgares; tædium attamen minuent, materiæ varietas, nec expers vtilitatis curioſitas. Diſſertationes has Medicas, quas olim in Congreſſu Medico Romano in ædibus D. Braſauoli, Medicinalium ſtudiorum promotoris vigilantiſſimi, audiuiſti, ne pigeat iterum legere, ex quibus nunc pauca ſelegi, ne pareret nauſeam copia, aut multitudo patientiam obrueret, aliàs tamen, ſi hæ arriſerint, expoſiturus. Illarum texturam diſpoſuerunt ingenioli mei libertas, atque conatus, earum tamen argumenta præſcripſit aliorum arbitrium. Stylo aliquatenus venuſtiore ornantur, eiſque introductio quædam præponitur, quæ ſuauitèr, ac iucundè res pertractandas aperiat, non enim ſeueram cathedræ maieſtatem referre debent, aut contentioſas ſcholarum altercationes, ſed mixtam vtilitate dulcedinem, qua decet in eruditorum conſeſſu ſapientiores ſe alloqui. Qualeſcumque illæ ſint, eas antequam legeris ama, vt poſſis amare, aut non odiſſe cum legeris.

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſc. Cyrenen. Viceſg.

EX mandato Reuerendiſsimi Patris S. P. A. Magiſtri legi, quàm diligentiſſimè potui, *Diſſertationes Medicas D. Bartholomæi Santinelli*, quas, plaudente Romano Congreſſu, antè annos audiui; fateor ſub aurium iudicio tunc magnas extitiſſe, nunc autem ſub oculorum cenſura maiores, quod rarò contigit, probari: cumque in ijs nihil Orthodoxæ Fidei, boniſue moribus repugnans, occurrere potuerit, & dulcem præterea ſtylum cum ſolida philoſophandi methodo coniunctum, agnouerim, publica idcircò luce digniſſimas cenſeo, quippè quæ non paucis, ſed omnibus ſcriptæ videantur.

Io: Maria Lanciſi Archyatrorum Collega, in Romano Lyceo Lector pub. & Baſil. S. Laurentij in Damaſo Canonicus.

Imprimatur.

Fr. Franciſcus Maria Forlani Reuerendiſs. P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sacr. Apoſtol. Pal. Mag. Socius Ord. Præd.

DISSER-

DISSERTATIONES.

De Flatibus. pag. 1.
De Motibus Vteri. pag. 15.
De Infantium Regimine. pag. 33.
De Senectute, & Senum Regimine. pag. 53.
De puris materia, & generationis modo. pag. 73.

PROBLEMATA.

An Apoplexia differat à morte ſubita. pag. 88.
An, & per quas vias Aer ingrediatur humana corpora, & an poſſit in fluida ibi mutari. pag. 95.
Quare fumus carbonum ſuffocet. pag. 103.
An, & qua ratione Melancholici putent ſe laborare ijs morbis, quos alijs accidiſſe audiunt. pag. 110.
An febrifuga exterius adhibita proſint. pag. 115.

DE

I
DE FLATIBVS DISSERTATIO.

SPIRITVM vitæ ſimul atque morborum authorem promulgauit : (*a*) Hippocrates, aerem inſpiratum intelligens, abſque quo vita non durat, motum enim ille dat ſanguini, ac nectar illud puriſſimum, energiæ vitalis inſtauratorem, introductione perenni ſubminiſtrat. Pro generali autem morborum cauſa Flatum proponit, non quidem aeris inſpirati ſobolem, ſed illum, qui gignitur intra corpus, & ad illius perniciem intra eiuſdem cauitates & ſpatia tumultuat.

Hoſtem igitur corporis infenſiſſimũ, quem, vt vobis profligandum proponeret, demonſtrauit vndequaque ſic pernicioſum inueſtigandum, ac ſua met in origine perſcrutandum ille reliquit; deteriora quippe ſunt iacula, quorum ictus ſenſibiliter patimur, ſed cum videre non poſſimus, nec poſſumus, vt minus illa feri-

(*a*) *Hipp. lib. de Flatib. n. 6.*

ant,præuidere. Audimus quidem Flatuum crepitus, & ſtrepentibus eorum ſubſultibus cruciamur, ſed non eſt oculis ſubiecta fidelibus illorum conditio; vnde nec hoſtem poſſumus aggredi,quem non agnoſcimus. Reuocentur ergo ad examen, ſitque laudabilis Medicinæ conatus,non ventos fabuloſo Aeoli carcere coercíſſe, ſed veluti palpabiles factos, ad intellectus obſequium captiuaſſe.

Plura ſub Flatus nomine in humano corpore poſſunt conſiderari; aut enim ad eorum naturam accedunt, aut eorum ſunt ſoboles; & primò Flatus ipſi propriè dicti, quorum alij craſſiores dicuntur, alij tenuiores, alij vagi, & cum impetu diſcurrentes,alij, magis firmi, & pacatiores, alij cum ſonitu, ſeù ſtrepitu erumpentes, alij cum ſilentio exeuntes. Secundò non ſolum ipſi met ſpiritus, vt in libro.(*b*) De Flatibus habetur, ſed magis peculiariter ſpiritus quidam flatuoſi, qui nil aliud ſunt, quam craſſiores, & impuriores ſpiritus,auſtrino aeri conſimiles à Galeno.(*c*)deſcripti, & à comunibus Flatibus differentes, qui à materia attenuata immediatam originem habere dicuntur, cum ipſi ſpiritualiorem, & à materia magis independenté conditionem obtineant. Tertiò vapores, & halitus, eoſdem ferè effectus parientes, quos Flatus ſolent efficere, nihilominus ab his diuerſi, prout ſunt ex parte faciliùs reſolubiles, ſed ex alia parte ſunt aptiores, ad hoc vt in materiam addenſentur præter alias

(*b*)*Hipp. l. de Flatibus, n. 4.*(*c*)*Galen. de arte curat ad Glauc. cap. 6.*

alias differentias, quas *(d)* Syluius notauit & etiam *(e)* Gliſſonius, qui hos halitus vocat Flatus imperfectos & fientes, & tanquam aliquam materiam Flatibus ſuppeditantes. Quartò tandem Flatus nomen, licet non ſtrictè, ſed impropriè communicatur inter cætera eructationibus per os exeuntibus, & fluctuationibus quibuſdam flatulentis, quæ à Galeno. *(f)* lib. de Symptomatum differentijs Clydones vocantur, & per ventriculum, cibis oppletum, nec eorum coctioni benè incumbentem, vagantur; rugitibus item, bombis, & borborygmis per inteſtinorum anfractus reſonantibus, pariter & crepitibus per inferiora protruſis; quinimo doloris, punctionis, aut tenſionis ſenſum in peculiari parte inordinatè poſitum, Flatum vulgus appellat, & forſan aliquandò etiam vulgares Medici, vel nimis vulgariter loquentes, vel nimis vulgariter ſapientes; etenim non conſtituuntur per hos diuerſæ Flatuum ſpecies, ſed ſunt Flatuum deſcriptorum multiformes effectus, varij motus, inſultus diuerſi.

Sed, cæteris omnibus relictis, ipſos met veros Flatus ſolummodò conſiderando, eorumdem cauſas, & generationis modum examinare nunc conuenit. Cauſa eorum duplex, materialis, & efficiens: quoad materialẽ, ex pituita formari Flatus dixiſſe videtur Hippocrates *(g)* lib. de Internis affectionibus & prętereà in *(h)* lib. de

(d) Syluius de le Boe Prax Med. l.1. cap. 9. (e) Gliſſon. tract. de Ventriculo cap. de Flatu n.5. (f) Gal. de Sympt. diff. cap. 4. (g) Hipp. de intern. affect. nu. 26. (h) De loc. in hom. nu. 56.

locis in homine; ex cruditatibus ob cibum inordinatè, inconſuetè, & ſuperabundanter ingeſtum in lib. (*i*) de Veteri Medicina: centies repetijt Galenus, Flatus oriri ex materia craſſa, glutinoſa, viſcida & cruda, ope caloris attenuata, eumquè ſequta eſt comuniter antiqua Medicorum cohors. His non contenti Recentiores aliquid vlteriùs ſuperaddere huic materiæ voluerunt: ſic aereum quiddam, ac aptitudinem peculiarem ad euaporandum in ea poſuit Bettus (*k*); ſic alij, vt ex eodem colligitur, quid oleagineum huic materiæ addiderunt. Gliſſonius (*l*) in hac materia ſpiritus parum fixos, ſed facilè exhalabiles, imò & partibus non amicos requirit, ac non tam materiam ipſam tangibilem, quàm ipſos met halitus eſſe ſubiectum, ex quo flatus conficiuntur aſſeuerat. Tandem Villiſius (*m*) acutiſſimus, nõ craſſitiem in vaporoſa materia, non vaporoſitatem tantùm agnouit, ſed inſuper heterogeneitatem, & partium in ſe non ritè miſcibilium efferueſcentiam, & colluctationẽ.

Verùm an ſufficienter per hæc materiæ flatulentæ aperiatur conditio, vos ipſi mecum perpendite. Humores craſſi, glutinoſi, viſcidi, crudi, ſimpliciter conſiderati, attenuari non poſſunt, ità vt reſoluantur in auram, cum caloris debiliter agentis vim deludant, à maiori autem caloris actione potius craſſefieri poſſint, quam ſubtiliari: Pituita, quàm moderniores

cru-

(*i*) *de Vet. med. n. 19.* (*k*) *Io: Bettus de ortu & nat. ſang. cap. 2. ſect. 19.*
(*l*) *Gliſſon. Ibid. n. 4.* (*m*) *Vvill. Pharm. rat. ſect. 6. cap. 6.*

crudum chylum, aut ſanguinis laticem appellant, oui albumen, & ſimilia, à leui ignis calore nil aliud ferè, quàm calefactionem acquirunt, à maiori verò igne magis indurantur, non vertuntur in Flatum: gluten, gelatina, & reſinoſa à calore moderato liquantur tantumodò, non ſubtiliantur, cum maiori calore, ebulliunt, & euaporant quidem, ſed non in aereum quid, qualis eſt flatus; quin imò in vaporoſum, & halituoſum, quod repercuſſum non diſpergitur, velut flatus & aer, ſed in materiam addenſatur tangibilem; hoc proportionaliter de vnctuoſitate per ſe ſola accepta credendum; ſi enim craſſa ſit, fumum emittit, & fuliginem, ſi ſubtilior, flammam, ſeu igneas exhalationes accendit, non ventum ſpirat, cuius cenſus credibile eſt fuiſſe flatum illum per podicem emiſſum, & flammam, admoto fortè igne, concipientem, de quo ſcribit (*n*) Bettus; Solùm obſtrepunt, & ventum exufflant vnctuoſa, ſi aquæ extraneam miſcelam contineant. Aqueis igitur particulis, aut contrariarum rerum admixtioni potius, quàm vnctuoſitati flatuoſitas eſt adſcribenda.

Aereum illud, & aptitudo ad euaporandum, quam in flatulenta materia Bettus ſupponit, adhuc ignota remanet, nec explicatur quid ſit, & in quo conſiſtat, præſertim cùm videamus ab ingeſtione aliquorum ciborum plures oriri flatus, cum tamen in ipſis aereæ, & euaporabiles particulæ ferè nullæ conie-

ctari

(*n*) *Bettus loc. cit. pag.* 74.

ctari poſſint; vnde enim, in napo, braſſica, & leguminibus, flatulentis ſanè edulijs plures particulas aereas contineri erit arguendum? Et licet cum oculatiſſimo(o) Malpighio, in vegetabilibus ac prçcipuè in ſeminibus incluſum aerem velimus admittere, exigua tamen in corũ diſruptione & actuatione aeris quantitas ab ijs egredietur, flatibus in corpore excitandis longè impar, nec explicari facile poterit, cur in aliquibus vegetabilibus parùm flatulentis, licet maioris molis, ac maiori copia ingreſſis, minor aeris quantitas contineatur, à cuius expanſione flatus non ſubſequntur, ab aliorum autem minore quantitate ac numero, maior aeris flatulenti habeatur exploſio; redolet igitur hæc ſuppoſitio peculiaris aptitudinis occultas illas qualitates, & proprietates, quas tantoperè in Antiquioribus Neoterici damnant.

Gliſſonij opinio, ſtatuentis in materia flatulenta ſpiritus parùm fixos, facilè exhalabiles, & partibus inſuper non amicos, imò ipſos met halitus, & vapores, quoad primam eius partem explicare ſolummodò videtur illud aereum, quod Bettus ſuppoſuit; quod enim materia contineat aereum quid, & aptitudinem ad euaporandum, nihil aliud eſt, quàm quod habeat in ſe ſpiritus parùm fixos, & facilè exhalabiles; ſed hoc iam dictum eſt in plurimis materijs flatulentis dari non poſſe. Quod verò ad ſecundam partem, quod ſcilicet ſint partibus non amici, re-

ma-

(o) *Malpigh. anat. plant.*

manet pariter exponendum, quam ob conditionem ſint taliter non amici; dantur quippe plura inimica, præſertim ventriculo, & inteſtinis ob mordacitatem, ob ingratum ſaporem, ob exuberantem pinguedinem: videmus venenata ipſa, quibus nil aliud eſt partibus magis inimicum, & tamen hæc omnia flatum non excitant, ſed vomitum, ſed anxietates, ſed alia ſymptomata. In quo ergo conſiſtit iſta peculiaris hoſtilitas? Quoad tertiam eius partem: ſi per halitus intelligantur exhalationes ſiccæ à Flatibus diſtinctæ, & diuerſam habentes naturam, hæ certè non poſſunt eſſe Flatuum materia; ſi verò intelligantur halitus flatulenti, & ventoſi, hi non tam ſunt cauſæ Flatuum, quàm ipſi met Flatus, ſupponentes ſemper materiã vaporoſã, à qua ducunt originẽ, prout ipſe met fateri cogitur; & hæc qualis ſit adhuc remanet explicandum.

Præ cæteris illam explicaſſe videtur Vvilliſius, dũ heterogeneas materias, nec facilè inter ſe miſcibiles, ſed ſibi met colluctantes, & repugnantes conſtituit; deſiderarem tamen ſcire à Vvilliſio, in quo conſiſtat iſta heterogeneitas, interquæ fiat hæc colluctatio? Non enim quælibet materiæ diuerſitas adhoc ſufficit, nec quælibet in fermentatione particularum commotio; ſunt enim plura hetereogenea ſimul commixta, abſq; eo quod vlla reſultet efflatio: videmus fermentari panem, nec tamen vllam ſequi flatulentiam; requiritur ergo in tali materia, vel commixtio elemento-

rum,

rum,ob quam rarefacta diſſiliant cum impetu,prout euenit in puluere pyrio, vel ſaltem aptitudo ad turgendum, & ad concipiendas bullas, tum in ebullitione, tum in agitatione, & quaſſatione, intrà quas, ſicuti aerem concepit, ſic etiam, ijs diſruptis, flatum poteſt explodere; nec quælibet materia ad hoc eſt apta, ſed ſolùm ea, quæ particulas volatiles, à fixis, & craſſis coarctatas, inter ſe continet, & non probè commixtas. Hoc euenit in ſapone, bullas cum diſſoluitur, & agitatur, facilè concipiente, ratione particularum acutarum calcis, intrà oleoſam pinguedinem coercitarum: hoc fit in albumine oui, in quo partes lentę & denſiores non carent particulis quibuſdã ſubtilibus, & quaſi dicam ſulphureis, quibus liquorem, cui immiſcentur, penetrando, eum ſeparant, purificant, & clarificant; quod vlterius argui poteſt ex odore albuminis oui elixati, ſulphur referente, dum tales exhalant particulæ: hoc tandem conſpicitur in ebullitione, ſeu fermentatione muſti, quæ violenta, & flatuoſa exiſtit ob ſpiritus ſulphureos vini cum cruda, & craſſa vuæ portione incongruè commixtos; imo in fermentatione ipſa ſecretos & diſcontinuatos, vnde aereis moleculis, priùs ibi carceratis, datur aditus exiliendi.

Talis igitur erit cauſa materialis, materia nempe vel conſtans ex partibus, quæ rarefactæ diſſiliunt cum impetu, vel apta ad turgendum & bullas concipiendas ob agitationem ſpirituum ſubtiliorum intrà lentam

ma-

materiam detentorum; nihilominus hæc ego affirmare non auſerim; quænam igitur erit Flatuum cauſa materialis? Nulla; efficientes verò quampluri mæ.

Pugnarunt ſemper inter ſe diſcordes Medicorum opiniones in ſtatuenda Flatuum cauſa effectrice. Antiquior fuit eorum controuerſia, diſceptantium, an calor debilis, vel excedens Flatum efficeret. Prior ſententia Galeno (*p*) innititur, pluries repetenti, Flatum fieri à calore debili in materias crudas agente. Secunda Flatus hypocondriacos præſertim oſtendit, in æſtuantibus viſceribus progenitos, vbi calor excedens prædominatur, remedijs frigidis ab Hippocrate(*q*) propoſitis non ſemel curatos. Magis recentia fuerunt eorum placita aſſerentium, vel cum Helmontio(*r*)Flatuum cauſam efficientem eſſe acidum ſtomachale, diuerſum à fermentali ordinario, & Gas quoddam Sylueſtre, ſeu ſpiritum non coagulabilem, vulgari lingua Flatum dictum, producens, vel cum Gliſſonio, (*s*) Archeum commotum, materiam intrà viſcera agitantem, aut etiam motum irrequietum ventriculi, & inteſtinorum ab eodem Archeo irritato concitatum; vel cum Vvilliſio, (*t*) non ſolùm fermentationem, & diſſolutionem alimentorum, ſed halitus ab ea productos, coercitos deindè, & repercuſſos; vel cum Syluio (*u*) bilem, ſale volatili, &

(p)Galen. 3. de Sympt. cauſ. 14. Method. meden. 9. de comp. med ſec. loc. (q) Hipp. 2. de morbis. Zacch. de morb. hypoc. (r.)Helmon. de Flatibus pag. 262. (s)Gliſſon. ibidem n. 18. (t)Vvillis loco cit. (u)Syluius le Boe Prax. med. lib. primo cap. 14. n. 27.

oleoſo præditam, materiarum particulas diſcutientem.

Mihi nec cum Antiquis, nec cum Recentioribus vlla lis erit; omnium ſententias admitto, omnes has Flatuum cauſas effectrices agnoſco; ſupponendum ſiquidem cenſeo, prout negari non poteſt, omnes corporis noſtri cauitates, vel ſanè minimas, in ſpatio, in quo ab humoribus non replentur, aere repleri: hoc naturæ legibus, vacuum recuſantis, conformatur; hoc à continua aeris per inſpirationem, & per poros immiſſione, ac circumpulſione confirmatur. Dentur igitur in ventriculo, alijſque præcipuis Flatuum officinis materiæ, vel multæ, vel crudæ, vel viſcidæ, vel heterogeneæ, ac proindè ad inflationem, & ampullas diſpoſitæ, vel ad violentam expanſionem paratæ; aut etiam tales non ſint; quotieſcumquè tamen, ſeù acidum ſtomachale proprium, ſeù quoduis aliud fermentum illas agitabit, & ebullire faciet: quotieſcumque Archeus irritatus in illas tumultuariè operabitur: quotieſcumquè bilis ſalia volatilia, & oleoſa eas eleuare facient: quotieſcumque tandem excedens calor, (ſolùm debilis dictus, reſpectu materiæ, quam licet concoquere non poſſit, poteſt tamen agitare) quotieſcunque, inquam, calor in illas aget; fieri non poterit, quin etiam aer, in reliquo cauitatis ſpatio contentus, agitetur, rareſiat, & per elaſticam, ei connatam virtutem, maius ſpatium ſibi quærat; quapropter halitus, & euaporationes, ab his materijs commotis proſilientes, non ſunt Flatus, nec vertuntur in Flatum,

ſed

ſed Flatum efficiunt,aerem impellunt magis, & minùs violenter, prout maiores ſunt in copia, vel in agendo validiores.

Quod autem inueriſimile ſit, materias, in cauitatibus contentas, poſſe in Flatus mutari, ex eo potiſſimum conſtat, quod potius ad aqueam naturam accedunt earum exhalationes, cum ſint craſſiores, & ſic addenſantur, non fiunt aer, aut ad humidam, ſi ſunt ſubtiliores, & ſic alterant potius aerem, cui immiſcentur, quàm fiant aer, & ſunt magis aptæ ad lancinandum, ad vellicandum, ad concutiendum, ad conturbandum, quàm ad aerem concipiendum, licet ſupradicta incomoda, cum corpori adueniunt, miſeris Flatibus iniuſtè tribuantur. Magis congruum erit igitur dicere in Flatus ipſum met aerem alteratum, & commotum mutari, alioquin non tam facilè fierent Flatus, nec tam citò, nec tam velociter, & violenter diſcurrerent, niſi aer propriè is eſſet, qui hæc efficeret, & niſi adeſſet violenta agitatio, quæ exploderet, & non ſolùm ſimplex attenuatio, quæ exhalaret.

Non tamen ſola aeris commotio intrà cauitates Flatum efficeret, præſertim vehementem, turgentem, & reſonantem, niſi concurreret etiam viarum occluſio, vel denſitas tunicarum, aerẽ iam concitatum repercutiens, ex qua repercuſſione vehementiam ſumit, & ſonitum. Vlterius hanc aeris exagitati carcerationem augere ſępè poſſunt ipſæ met fibræ, quibus cauitatum

tunicæ ſunt intertextæ; ſi enim vel multo humore imbutæ nimium tendantur, duriorem repercuſſionem aeri exagitato præbent; vndè ſonitus maior: vel ſi à ſtypticitate alicuius ſucci, in cauitate poſiti, corrugentur, prout in melancholicis euenit, anguſtiorem aeri diſſilienti locum reddentes, illum magis effrenant, & ventoſum impetum augent; hinc melancholici hypocondriaci Flatus frequentes, & veluti tonitrua emittunt. Experimur etiam, quod quando quis ructus voluntariè vult excitare, præcedente prius maiore externi aeris inſpiratione, mox violentam expirationem facit, in qua ventriculus etiam coarctatur, vt foras immiſſum aerem explodat, in Flatum mutatum ex agitatione, & coarctatione ventriculi ſimul cum diaphragmate, eum repercutientis abſque vllius materiæ concurſu, nec non ob tenſionem muſculorum abdominis, à quibus ventriculus ad ſuperiora comprimitur. Nec ſolùm in iſto caſu ſolet ſequi eructatio, ſed ventris rugitus conſequntur, ob aliam portionem aeris, qui in ventriculo continebatur, commotam, inferiùs protruſam, & per anfractus inteſtinorum aditum ſibi quæritantem, in quibus ſanè anfractibus, ſi aer impulſus detruditur, in eis nouum aerem, nouas agitationes, & impulſus inueniens, ventos ventis agglomerando, ſemperquè magis repercuſſus, cum fragore tandem egreditur inconcinno.

At, cum non egreditur è cauitatibus corporis, ſed

intrà

intrà eas collectus detinetur,ſenſim addenſatur,marceſcit, corrumpitur; hinc tympanitidi ſuccedere videmus aſcitem, cum ex craſſioribus halitibus, aeri intrà abdomen concluſo immixtis, aer quodammodo mutatur in aquam; nouum enim non eſt ventos ſecum ducere eas qualitates, eiſque imbui, quæ illis fiunt obuiam; ſic odores, calorem, miaſmata putrida ſecum afferunt venti, ſic etiam aqueas humiditates exprimunt venti, dum, flante auſtro, non ſolùm aer, verùm quandòquè ipſi met parietes humiditatem extillant.

Audio nunc ſciſcitantem, quomodò iuxtà datam hypotheſim inflatio cadauerum, præſertim veneno interemptorum, fiat, cui reſponſum velim, doctrinæ Vvilliſianæ (*x*) innixus, in extrema mixtionis diſſolutione, quæ fit in cadauere, prout magis, vel minùs illud putreſcit, particulas omnes actiuas ab inuicem diſcedere, auolare, ac exitum quærere; igitur aerem intrà corpus exiſtentem ſecum propellent ad corporis peripheriam, in qua ſiſtere coactæ ob addenſationem cuticulæ, faciunt tumefactionem, & facilius ſemper erit hoc credere, quàm quod à materia corporis, tunc rarefacta, id proueniat.

Vltimò ex dictis circà Flatuum curationem iuuat aduertere, forſan non congruè prò ea adhiberi ſemina, carminantia dicta, aniſum, foeniculum, & ſimilia, & multò magis aromata, & vinum; etenim hæc, vel ca-

(x) *Vvillis Pharmac. rat. p. 2. ſect. 2. cap. 4. pag. 172.*

calore, vel partium tenuitate in materiam agunt, agitando, fermentando, eleuando, rarefaciendo, vndè conſequenter aer agitatur, & impellitur. Faciunt hęc igitur Flatus, non curant, prout à plurima eorum emiſſione, talium rerum vſum conſequente, ſeducti quàm plurimi credunt: potius quæ quietem materiebus præbent, quæ ebullitionem extinguunt, quæ terminos repercutientes laxant, viderentur aptiora.

Hæc circa leues & vagos Flatus leuiter conſiderare licuit, non firmè decernere: ſubtilioris opus erit ingenij rem ſpirituoſam analyſi perfectiore ſcrutari: ea, quæ retulimus, aeream Flatuum conditionem ſapiunt quidem, ſed non declarant; ad melioris igitur doctrinæ aduentum ſe diſcuti, ac in auras obliuionis euaneſcere patientur.

II
DE MOTIBVS VTERI
DISSERTATIO.

VTERVS humanæ ſtructuræ officina, ſimul, & artifex, primumque hominis, vix efformati, hoſpitium, admirationis poſcit obſequia, beneficientiæ promeretur encomia. Vterus impuritatum fodina, rebellium quorumcumque morborum, vel origo, vel fomes, mulierum tyrannus domeſticus, exigit, abominationem & odia. Me, & illius verboſam ordiri panegyrim vetat impolitus dicendi ſtylus, prohibet licteraria hæc paleſtra, ſolidæ doctrinæ indagatrix, non oſtentatrix verborum, & eumdem ſatyricis inſequi aculeis, nec patitur animus, nec ingenuus hic congreſſus permittit, à quo nil magis alienum re vera eſt, quàm mordere, quàm conuiciari. Vtroque ergò poſt habitò, vterum ſub rationis examine ponam, motus illius præcipuè conſiderans, quibus laudis, aut calumniæ non leue poteſt ſubire periculum. Stupet vnuſquiſque, dum audit, vterum, licet vinculis vndequaque coercitum, hùc, illùc vagari, & lon-

longinquas corporis partes, quandoque petere, aduenienti ſemini obuiam ire, odoribus illectum accurrere, fætores nauſeatum aufugere, eumque, vel ſuprà cætera viſcera nobiliſſimum ſtatuit, vel animal eſſe, odorare, guſtare, appetere, indignari, cum Platone, (*a*) & Areteo (*b*) aſſerere forſan non erubeſcit; horret vnuſquiſque dum videt mulieres miſerrimas ab vtero ſic aberrante, vel cruciatas, vel præfocatas, vel extinctas, animalquè hoc indomitum catenis arctioribus damnat, Orcique furijs connumerandum exiſtimat. Si igitur horum motuum fallaciam, & impoſturas, mihi datum erit oſtendere, dabitur pariter, ablata, quam iniuſtè extorſerat prerogatiua, vteri caſtigare ſuperbiam, & deletis, quæ iniuſtè illi apponebantur, criminibus, ab eius motu dependentibus, eiuſdem ſimul adaugere præconia.

Primus inter vteri motus conſiderandum ſe præbet eius ille progreſſus, quo, propria è ſede dimotus, ad alias partes perreptat, qui licet communiter fidem apud doctos non ſit aſſecutus, celebrium tamen aliquorum Virorum patrocinio non caret; ſed præ cæteris aſſertorem iactat Hippocratem; cuius venerabile teſtimonium, fallique neſcium, omnia diluit obiecta, & irrefragabilem rebus quibuſcumquè arduis probationem conciliat. Pluries hic, (*c*) mentionem fecit de vtero ad hepar, & præcordia accedente, vndè mu-

(a) Plato in Tim. circa finem. (b) Areteus l. 2. Acutor cap. 11. (c) Hipp. de nat. mul. n. 3. 8. 14. 18. &c. primo de morb. mul. n. 5. 17. &c. l. 2. 16. 18. &c.

muta repentè fit mulier, dentes conterit, nigreſcit, & ſuffocatur; & de vtero ad coxam, aut lumbos allapſo, cum earum partium tenſione, & dolore; de vtero cor inuadente, quinimò & ad caput vſquè progreſſo. Habet tandem pro ſui comprobatione tactus experimentum, quò paſſim inter hyſtericas ſuffocationes manu mulierum ventri appoſita, perſentitur manifeſtè vterus ad inſtar globi, ventriculo, aut præcordijs incumbens; & indè ad inferiora remeans, quod vel ipſum prudentiſſimum, ac doctiſſimum Fernelium, (*d*) aliter forſan prius ſentientem, ei aſſentiri coegit, & hoc etiam ipſe Hippocrates (*e*) fuerat expertus; quandoquidem de vteris ad latus allapſis loquens, dixerat *Vterum durum veluti pilam eis inſidere, & ad contactum dolere.*

Sed moueatur quamtumlibet vterus, ego ad eius ſupradictos motus credendos adhuc non moueor; quin imò in eius ſtructura, & conditionibus perſcrutandis aliquantulum quieſco.

Situs eſt in infima ventris regione vterus, eius collum veſicæ vrinariæ, & pubis oſſibus, inteſtino recto, & oſſi ſacro, mediante peritoneo ſtrictè connectitur; eius fundus ligamentis quatuor vtrinquè ad latera firmatur, duobus rotundis, duobus latis, & validis; eius figura ex rotundo oblongatur cucurbitulæ ad inſtar; magnitudo in ſe non eſt excedens, ſed eſt apta diſtendi; ſubſtantia ex carne, & fibris pecu-

(*d*) *Fernel. Pathol. l. 6. cap. 1.* (*e*) *Hipp. 2. de morbis mul. num. 2.*

liari modo eſt intertexta, & ſi non glanduloſa, tamen eſt ſpongioſa, vndè, præſertim grauidationis tempore, ab affluxu receptorum humorum turget, & creſcit, & materiam ſeroſam, qua eſt imbuta, aſſiduè in propriam cauitatem extillat mediantibus multis, exiguiſque tubulis, in eam deſinentibus.

Hæc circà ſtructuram notaſſe ſit ſatis; placet modò circà hominis opificium, quod fit in vtero aliqua aduertere. Eiaculata intra ipſum ſemina, (quod etiam ex recentiorum ſententia de ouis fœcundatis, ac in vterum demandatis, ſi libuerit ea credere, erit proportionaliter dicendum) vt corpus humanum indè formetur, non ſolùm inuicem commiſceri debent, ſed alterari, eo modo, quo ex ceteris ſeminibus non pullulant germina, niſi prius ea in ſe met ipſis ſenſibilem alterationem paſſa fuerint, quam ſanè alterationem neceſſariam, atquè completam, non vbicunquè illa recipiunt, nec à cuiuſlibet rei contactu, ſed ſolùm vbi reſident apta fermenta, quæ ipſa vel emolliant vel foueant, vel attenuent, aut quoquo pacto germinabiles particulas diſponant ad actum; ſic triticum, non intrà vas calefactum, nec intrà arenas, quamuis aſſiduè irrigatum, non liquoribus immerſum, aut aeri ſimpliciter expoſitum naſcitur, ſed terræ demandatum, eique tum cultura, tum pingui humido ad alterandum tritici ſemen diſpoſitæ.

Reponendum igitur erit in vtero fermentum conſimile, quo poſſint humana ſemina ad hominis con-

for-

formationem diſponi, præſertim cum nec ratione ſubſtantiæ, nec ratione figuræ, nec ob inſitum in eo calōrem, id præſtare ille ſit aptus, eo prorsùs modo, quò ventriculus non aliter, quàm vi peculiaris fermenti, in eo reſidentis, cibos alterat, & tranſmutat, & hoc fermentum partim intrà vteri cauitatem reſidere, mucoſitatibus, quæ ibi ſtabulantur, immixtum cenſeo, partim intrà tubulos, & ſpatia, quibus ſubſtantia vteri compoſita eſt, detineri, indèque intrà vterum, prout opus eſt, inſtillari, ac tempore, quo ibidem conceptus reſidet, intrà eadem ſubſtantiæ vterinæ ſpatia accreſcere, ac internè vterum fouere, & fœtus iam germinati coadiuuare incrementum; hinc eſt, quod dum fœtus in vtero continetur, vteri (vt dictum eſt) augetur ſubſtantia, & vltrà modum fit craſſior.

Eſt autem huius fermenti conditio, non acida, veluti eſt ſtomachale fermentum: etenim non ſoluere, non incidere, nec tincturam extrahere debet, ſed potiùs, cum per ebullitionem, ac aliqualem veluti putrefactionem, ſemen ab ipſo alterari ſit veriſimile, prout in reliquis ſeminibus fieri videmus, dicendum erit, ipſum fimi quamdam redolere naturam, à quo perbellè poteſt ſemen ad hominis formationem diſponi, & poteſt etiam totus vterus aptè foueri; quin imò forſan credi poteſt, ab ipſo etiam veneream tentiginem, & appetitum vtero communicari, vndè ſalacium mulierum vteri ſatis liquore hoc fermentali, ac fimoſo, humectari

ctari; tempore coitus, ſentiuntur, quod Regnerus de Graaf. (*f*) adnotauit.

Quod ſi vel à prauis viſcerum ſuccis, vndè primam ſui originem fermentum hoc duxit, vitietur, & reddatur ferocius, vel ab animi motibus, agitatione fluidorum,per vniuerſum corpus facta,inordinatè in vterum, & materias ibi ſtagnantes proſiliat, ſicquè ad vterũ copioſior impuritatum ſaburra confluxerit, aut ob menſtrua non ritè procedentia, aut ob ſuppreſſa lochia, aut alia quapiã de cauſa;ſi pariter ob intermiſſum,ceſſatione coitus, ſeminis fermentandi exercitium, aliud operari cogatur, longam morborum iliadem erit aptum producere, ideòque poterit excandeſcentia fumidarum, & ignearum particularum his de cauſis præter modum efferueſcentium (prout in fimo, vel diù detento accenduntur, vel ab eodem nimium agitato exhalant) vtero phlogoſim conciliare, aut violentèr ipſum cum ſuis ligamentis irritare, & inordinatè conuellere, vel impuritates in eo collectas fundere, & in partes corporis principaliores,cum quibus connexionem,vaſis mediantibus, habet, magno cum detrimento refundere.

Contrahere etiam poteſt vitium contrarium, & peius, congelantem nempè quodammodò vim, atquè fixantem, quæ diuerſis corporis partibus, ſed præcipuè nerueis communicata, hyſtericorum ſymptomatum eſt cauſa manifeſta, non peculiaris, & occulta, prout credebat Antiquitas; vel enim muſculos poſt diuerſas

ſpaſmo-

(*f*) *Graaf. de Mulier. Organ. cap.* 8. *de Vtero.*

ſpaſmodicarum motionum fluctuationes attonitos, ac immobiles in ipſamet operatione, ac tenſione detinere poteſt, itàut otiari videantur, licet ſummoperè, ac fixè in tenſionis exercitio ſeſe contineant, vel citrà tenſionem, ſpirituum irradiationem impedire poteſt, vndè ſenſitiuæ, ac motrices operationes magnam patiantur eclypſim. Quod autem à fimo vterino hæc poſſint emergere, improbabile non videtur; ſicut enim ex terræ impuritatibus, per fimi appoſitionem maceratis, & fermentatis, accedente aquæ miſcela per ebullitionem nitrum educitur, ſic ex fermenteſcentibus, ſimulq; commixtis, vterino fermento fimoſo, & congerie impuritatum humidarum ibi exiſtentium, poſſunt exaltari nitro ſimilia effluuia, valentia fluidis vitium inferre, & torpore, aut congelatione quadam ſpiritus detinere, quod aphoniæ, reſpirationis, & pulſus interceptiones, refrigerationes, & alia huius cenſus, quæ vterinas paſſiones concomitantur, & à remorato humorum motu proueniunt, teſtantur apertè.

Tali igitur circà hæc facta ſuppoſitione, liberè fas erit aſſerere, vterum ad præfatas corporis partes non moueri, nec ad illas accedere, non quidem motu proprio, & intrinſeco, quia animatum anima peculiari, & diſtincta non eſt, nec Zoophitorum ad inſtar, quia motus, qui ei tribuuntur, perfectioris conditionis requirunt organa, quæ ipſe revera non habet; nec ad voluntatis arbitrium illum moueri, muſculus enim non eſt, & qui à voluntate ordinantur motus, in corporis

bonum

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

bonum tendunt, non in ruinam; nec item moueri motu extrinſeco, & violento à cauſa morboſa proueniente, & ſic verſus ſuperiora impelli; etenim cum foras prolabitur eius ſubſtantia, ligamentis ſolutis, à ſuperioribus partibus potius remouetur, nec talis prolapſus poteſt verè motus appellari; pariter cum conuellitur, potius à ſuperioribus partibus refugit, non illas attingit; tandem cum ſecundum ſui dimenſionem extenditur, & dilatatur, quantumcumque id efficiat, nunquam poteſt iecur, ventriculum, diaphragma, cor, & caput attingere, & hoc palpabili impedimento eius ligamenta demonſtrant; prætérquam quod, ſi in grauidatione, quandò in omnimodam amplitudinem intumeſcit, has partes non tangit, & ſymptomata, quæ eius mótui tribuuntur non excitat, quomodò id præſtabit quandò factus eſt minor?

Motus ergo vteri non ſunt qui tales videntur; quin potius ea, quæ mulieres patiuntur incomoda, à nimia, & violenta quiete proueniunt. A ſuppoſito vteri aſcenſu eæ, vt plurimum infeſtantur, quæ, vel puellæ menſtruorum ſuppreſſionem habent, pallidoſque colores, vel coniugatæ non concipiunt, vel viduæ, aut annoſæ virgines venereos ſtimulos, vel olim guſtatos, vel diù nimis expetitos infructuosè ſentientes, vtili ſeminis emiſſione defraudantur. In harum igitur vteris impuritates heterogeneæ plus iuſtò regurgitant, & vterinum fermentum eis admiſcetur, quod à recto opere prius

re priùs diſtractum, diùque priùs otioſè detentum, mox cum ijſdem prępoſterè ebulliens, vel vterum cum ſuis ligamentis vellicat, & conuellit, vel nitrum concipit impurum, & fixans, quod à vaſis, circà vterum poſitis, vnà cum fluidis reaſſumptum; moroſim imò, & congelationem ijs communicat, à qua prout diuerſæ partes, ad quas hi ſucci taliter inquinati ferri debuerunt, lęſionem experiuntur, ſic ad eas vterum acceſſiſſe creditur, cum re vera ipſe non materialiter illas attingat, ſed à deprauato fluidorum motu, & ab acceſſu talium molecularum, cum fluidis ad ipſas allatarum, illæ patiantur; & equidem ea omnia ſymptomata, quæ mulieres ſubſtinent, ab inopinato vteri acceſſu, ad hepar, ventriculum, caput &c. ſunt pręfocationes, aphoniæ, apneæ, refrigerationes, & ſimilia, quæ omnia denegatum ſpirituum affluxum, ac ſegnitiem fluidorum in motu ſupponunt, nec alijs remedijs tolluntur, quàm ijs, quæ ſua acredine, ac penetratione hæc diſcutiunt coagula: ſic ſulphur, caſtoreũ, pili vſti adhibentur; ſic dolorificæ ligaturæ, cucurbitulæ, vſtiones conueniunt; ſic cum viro cohabitatio ab Hippocrate (*g*) ipſo ſuadetur, qua tùm in vniuerſo corpore motus excitatur, tùm vterini fermenti ferocia per amicabilem ſeminis aduentum mulcetur.

Nec ſolùm hæc fiunt, ſed pariter (vt dictum eſt) irritatur vteri ſubſtantia, conuellitur, retrahitur, diſtorquetur, ſecumquè ſua trahit ligamenta, & conſe-

quen-

(*g*) *Hipp. de Morb. Virgin. num. 3.*

quenter partium adiacentium muſculos; hinc ſtupores, ponderoſæ ſenſationes, retractiones, dolores in lumbis, & coxis oriuntur; qui ab Hippocrate (*i*) vteri ad coxam, aut lumbos allati dicuntur, & à quamplurimis verbali interpretatione creduntur. Stupet, contrahitur, ac etiam dolet, coxa, & totum crus, dum in eiuſdem lateris rene calculus commotus nephriticos dolores excitat; ren tamen immotus manet, nec proindè quis dixerit illum ad crus eſſe allapſum; cur ergo credendum erit moueri à ſuo loco vterum, & ad coxam allabi, quando eius affectionibus illa compatitur?

Hæ ſunt rationes, quæ ſatis probant vterum non moueri, quibus ſufficienter explicata etiam videtur mens Hippocratis, pluries apparenter repetentis, vterum ad varias partes accurrere, iuxtà id, quod in extimo verborum cortice notatur, non tamen id ſentientis, iuxtà id, quod incluſa ijs continent myſteria, rationis, & experientiæ lumine patefacta.

Vnus tamen eius Textus, obſcurus ſanè, ſed vteri motionibus apertè fauorabilis, peculiarem animaduerſionem requirit. Habetur hic lib. 1. de Morb. Mul. vbi ille ſic loquitur. (*k*)

At verò ſi repentè ſuffocatio vrgeat, quæ ijs potiſſimum contingit, quæ viri conſuetudine minimè fruuntur; & ſenioribus potius, quàm iuuenibus, earum vteri leuiores exiſtunt, id tum maximè contingit, vbi magna vaſorum inanitio, aut ſolito vehementior labor acceſſerit, vehementi labore re-

(*i*) *Hipp. locis ſupracit.* (*k*) *Hipp. 1. de morb. muſ. num. 16.*

bore reſiccati vteri conuertuntur, cum ſint vacui, ac leues, amplum enim locum, quo conuertantur nacti ſunt, vacuo nimirum ventre; conuerſi verò iecur petunt, ei adherent, & ad præcordia impetum faciunt; vehementi enim labore plùs iuſtò exiccati, ad humorem, qui ſurſum eſt, currunt, atque feruntur, hepar autem humidum eſt &c.

His Hippocratis verbis materialiter ſumptis, nullam adhibendam eſſe fidem, abſurda multa, quæ in eis continentur, Hippocrate indigna, conuincunt: & primò ſi per magnam vaſorum inanitionem ipſe intelligit vniuerſalem aliquam ſanguinis, aut alterius rei euacuationem, à vaſis totius corporis factam, ab hac priùs reſiccatur totum corpus, & reliqua viſcera naturalia; quàm vterus, vndè nec ipſe præ ceteris opus habet, vt loco moueatur ad inquirendum humidum in hepate; quod, illo magis deſtitutum, ſupponendum in tali caſu eſt, ac eò magis quàm vterus, credendum eſt indigere; ſi verò intelligit copioſam ſanguinis euacuationem, à vaſis vteri factam, hæc non præfocationem facit, quin imò præfocationi ſunt obnoxiæ illæ mulieres, quibus ab vteri vaſis ſanguis non fluit; ad ſummùm poſſet talis euacuatio vterum ex ſiccitate conuellere, & ſic in ſe retrahere, ac potiùs à præcordijs remouere. Quorum igitur vaſorum erit iſta inanitio, niſi eius ventris, qui vacuus factus, amplum locum dat vtero, vt conuertatur, & deindè aſcendat ad hepar, prout ipſe Hippocrates ſubiungit? Ventres autem, qui ampliorem vtero locum dare poſſunt, vt per abdomen moueatur,

non alij ſunt, quàm veſica, inteſtina, & etiam ventriculus (quod putauit Martianus; (*l*) ſed quid habet cum iſtis ventribus, ac cauitatibus commune vterus? Forſan ab eis nutrimentum, & humectationem recipit, itàut, ijs vacuis redditis, exiccetur, & ipſe? Hoc autem profectò non eſt.

Prætereà quomodò vteri exinaniti, & exucci ſint adeò leues, ità vt poſſint eleuari, & aſcendere, non percipitur ità facilè; leuiores quidem poſſunt eſſe vacui, quàm repleti, ſed non ideò poſſunt aſcendere, niſi adſit aliquid, quod vel à ſuperiori parte aduocet, vel impellat ab inferiori; ſed ſuppoſito, quod iecur attingant, quidnam ab eius ſubſtantia poſſunt exhaurire? Eſtnè forſan iecur cauitas, aut lacuna, humore repleta, in quam vterus ſe poſſit immergere? Habet nè forſan in ſuo fundo vterus os hians, quo poſſit humorem exugere? Nonnè per vaſa, quibus cum viſceribus connexionem habet, facilè humiditatem quamcumque ſumere poteſt, abſque eo, quod ad illa traſmigret? Tandem qua ratione vterus, ab hepate humiditatem aſſumens, poteſt ſtrangulationem facere? Nec enim violenter arietat, nec omni ſucco, quo in excedenti copia opus non habet, ipſum deſtituit, nec grandi mole diaphragma compellit.

Cum igitur non ſecundum id, quod verba ſonant ſit materialiter intelligendus Hippocrates, licitum erit dicere motum, & aſcenſionem, quam ipſe vtero videtur tri-

---

Martian. in Hipp. de morb. mul. lib. 1. verſ. 195. pag. 245.

tur tribuere, potius de vterino fermento eſſe intelligendam, id enim in ſenioribus, & in ijs, quæ viri conſortium non habent, ferociùs eſt, quia non abluitur à ſemine, & diù ſtabulans nitrum concipit. Si ergo illud, vel in nimia vaſorum vteri euacuatione, (de qua ibi actualiter agit Hippocrates) rapiatur intrà venas, vel poſt violentos animi motus, qui *labores* ibi vocantur, agitatũ proſiliat, & cauitatem vteri, & deindè venas ingrediatur, amplas, vacuaſq; vias inueniens, fertur per eas ad hepar, & præcordia, in quibus præfocationem, modo, quo iam antè dictum eſt, parit, non humores ſugendo, ſed fluidorum motum impediendo, aut detinendo; vndè nil mirũ ſi, reſpiratione remorata, mulier præfocationem patiatur, quæ benignioris laticis poſtmodum affuſione ſedatur, & ſuborta coagula ſoluuntur, & hoc eſt, quod ſubiungit Hippocrates (m) *Pituitam à capite ad præcordia defluere, & hinc vterum ab hepate in locum ſuum remeare, & ſuffocationem ceſſare,* adueniente noua ad vterũ humiditate, nempè noua melioris fermenti materia.

Hæc pro aperiendo Hippocraticorum verborum ſenſu dicta, ſi non arrideant, meliora vnuſquiſque recogitet, dummodò tamen motum vteri materialem, materiali eorumdem verborum lectione cum veritatis iniuria, & Hippocratis detrimento non concedat.

Globus, qui per mulierum hyſtericarum ventrem vagari manu ipſa percipitur, & quem ad fauces vſque àſcendere mulieres ipſe referunt, vteri quietem non

Hipp. lib. 1. de morb. mul. num. 16.

minuit; quandoquidem,quod vterus ipſe ſit, qui fauces occludit, non quidem credere, ſed nec audire abſque cachinno Medicus debet; eſt hoc obſtetricum anile theorema, ſed nec quidem re vera vterus eſt id, quod in ventre conglobatum ſentitur, quin potiùs vel cum Vvilliſio *(n)* ex ſpaſmodica affectione plexus lienaris, ac ſtomatici,per abdomen diſſeminati,prouenit,vel iuxtà Isbrandi, & Regneri doctrinam *(o)* ſunt flatus quidam auſteri, redolentes conditionem vterini fermenti, eo modo, quo dictum eſt, deprauati, qui flatus, vel intrà muſculorum abdominis ſpatia coadunantur, vel inteſtina ipſa, quaſi corrugata, conglomerant, quod proportionaliter etiam in muſculis faucium contingit; hoc autem copioſa flatuum emiſſio ſubſequens comprobat, qua globus ille reſoluitur. Cœterum ſi vteri fundus ſic conglobatus aſcenderet, ſecum traheret collum, ipſamque vaginam, vndè ipſum etiam pudendum dolorificè retraheretur, quod tamen mulieres non patiuntur.

Vterino hoc tumultu ſedato, breuiſſimè, ne limites veſtræ humanitatis excedam, de motu vteri ad ſemen virile, & odores, aliqua dicam. Quoad primum, euidenti demonſtratione probari non poteſt, obuiam ſemini vterum ire; obſoleuit, quinimò tanquam inſulſa Auerrois *(p)* illa narratio de ſemine intrà balneum effuſo, & attracto, ab vtero, vndè mulier concepit. Quod, ſi concedatur aliqua in vtero commotio ad ſeminis virilis

rilis

(n) Vvilliſ. de morb. conuul. cap. 10. pag. 72. (o) Diamerbroek lib. 1. cap. 24. Regner. de Graaf. de Mul. organ. cap. 10. de ligamen. vteri (p) Auerroes 2. Collig. cap. 10.

rilis aduentum, ea ſuctio tantummodò eſt à fibris vteri peracta, ac agitatio ſubſequens corrugationem vterinæ vaginæ, quæ fit in ipſa actione concubitus, & incaleſcentiam, ijs partibus à motu inductam, non verò eſt localis motus, ab animali appetitu excitatus. Et ſi peculiaris analogia, & appetitus vteri ad ſemen admittatur, quo mediante illud attrahat à longinquo veluti magnes ferrum, ſuccinum paleas attrahit; ſicut hæ res nec loco mouentur, nec animalem appetitum habent, ita in vtero nec motus talis, nec conſimilis appetitus eſt reponendus. Tandem cum à pleriſque prò certo adhuc non habeatur ſemen intrà vterum ingredi (namquè poſt concubitum ſemen intrà illum reperiri non ſolet) pariter cum ex Regneri aſſertione *(q)* vis prolifica ſeminis non ſe ſiſtat in vtero, ſed (vt ille dixit) per tubas ad ea, quæ ipſe vocat ouaria mulieris, feratur; quomodò credendum erit, vterum, aut ad excipiendam ſolam ſeminis materiam, meliori ſpoliatam energia, aut ad illam, nec forſan recipiendam, tam ſollicitè ferri?

Quoad motum, quo vel accurrit ad odores, vel à fœtidis ſe retrahit, ipſum libenter crederem, & vteri veram cum odoribus, vel fœtoribus correlationem admitterem, ſi vel omnes mulieres eodem modo ab odoribus lædi conſpicerem, vel viros etiam quamplurimos, qui vtero carent, eadem pati ab odoribus, quæ mulie-

res

(q) Graaf. de Mul. Organ. cap. 14.

res patiuntur, non obſeruarem. Moſci, & conſimilium odorum perceptio, viris plериſque capitis grauedinem, dolorem, inflammationem, vertiginem inducit, ventriculi ſubuerſionem, & vomitum excitat, eructationes commouet, & quamdam veluti ſtrangulationem. E contrà mulieres quamplurimæ, & præſertim hiſpanæ, moſco vtuntur in veſtibus, edulia, ambare, & moſco imbuta, comedunt abſque vteri noxa; ſed ſicut eos tantummodò viros hi odores perturbant, qui, vel caput debile, vel impurum ventriculum, & ſarcinatum habent, ſic eæ tantùm mulieres ab odoribus vexantur, quæ vel in toto, vel in ipſo vtero impuritatibus ſcatent, ſed magis læduntur ab odoribus pallidæ virgines, & non menſtruatæ, ſteriles item, aut cœlibes, ac etiam puerperæ; ex quo manifeſtè argui poteſt, non tam commoueri in ijs vterum, quàm materias in vtero ſubſultare, & humores in vniuerſo corpore agitari.

Non alia igitur ratione vterus percipit odores, aut fœtores, quam ea, qua ventriculus cibos delicatos, & ſuaueolentes appetit libentiùs, & ab ingratis abhorret; qua vniuerſum corpus reficitur ab odoratis, moleſtatur à fœtidis, & tamen, nec ventriculus, nec reliquæ corporis partes odorandi ſenſu pollent, aut è ſua ſede mouentur. Odores autem, vel cum ſunt grati, potentias ſua dulcedine alliciunt, & ab alijs operationibus diſtrahunt, vel cum ſunt vehementes, potentias veluti aggrauando conſopiunt; hinc lochiorum, & menſtruo-

ſtruorum fluxus ab odoribus ſiſtitur.

Medentur verò his paſſionibus fœtida, non quod ab illis fugiat vterus, ſed quia vi acri, ac diſcutiente pollent, vndè acetum, & herbæ odoratæ; ſed acriores afferunt idem remedium, nec cum ab odoratis, vterò appoſitis, ceſſent ſymptomata hyſterica, & purgationes vterinæ reuocentur, id fieri dicendum erit ab odorum illectu, ſed ex eo, quod aperiunt, laxant, calefaciunt per materialem particularum contactum, nec vim inferunt, prout malè odorata, quæ vim inferendo, ſicuti ſunt apta ad corpus violenter concutiendum, & expergiſcendum, ſic inepta ſunt ad humorum eductiones proliciendas, quæ à triſti ſenſatione potius ſupprimuntur. Nec mirum, aut nouum cuipiam videbitur in ijſdem rebus narcoticam vim, & partes calidas ſimul admittere, nam, præterquamquod in opio narcoſis, & caliditas ſimul iunguntur, has duas contrarias operationes in rebus quæ ob exceſſum odorum, non odoratæ, ſed grauiter olentes dicendæ ſunt, ſecundum diuerſas particulas ineſſe, & ſecundum diuerſum applicationis modum diuerſimodè operari, conſtituo.

Et hic, vbi à motu vterus ceſſat, non vltrà progrediatur Oratio, quæ, ſi vterum per muliebrem ventrem non errare demonſtrans probationes non aptas attulit, aut incongruam dicendi ſeriem contexuit; errauit quidem, ſed errore non turpi. Vtinam ab vteri, inſtabilitate ad ipſum brutaliter non moueri, quam plures

addi-

addiſcerent. Vtinam circà ipſum tam incautè, & turpiter errare deſiſterent; hoc tamen in Oratione hac excuſari non poteſt, nimirum, quod dulci loqutionis modulo carens, ac tædioſa prolixitate grauiter olens, vos diù nimis afflixerit, ſed hoc boni pariter ab ea tolli non poterit, quod nempè cum iniucunda ſit, ac graueolens erit prò paſſionibus Vteri ſedandis remedium apprimè proficuum.



D E

III
DE INFANTIVM Regimine.

DISSERTATIO.

Anno initiante habita.

INTER anni renaſcentis exordia iucundum erit, & vtile ad puerilia tractanda deſcendere. Illam, quam Mundus maior cum Microcoſmi conſtitutione ſeruat analogiam, in anni etiam tempeſtatibus, humanæ ætati correſpondentibus, repræſentat. Repueraſcit, dum incipit annus, &, quamuis ſua inter rudimenta, omni ſpoliatus decore, infantilem præſeferat nuditatem, quamuis inter brumalia frigora contremiſcat, & frequentibus lacrymetur in pluuijs: licèt inter ventorum ſibilos ſuos proferat eiulatus, & vagitus ingeminet; licèt affluentia niuium, quaſi lacte, paſcatur, ac inter longiora noctium curricula ſopitus obdormiat, ſua tamen nouitate delectat. Elapſa vitæ noſtræ principia, quæ reſtaurare non poſſumus, in anni inſtauratio-

ratione recolimus, & quorũ iacturam reparare non valemus, renouata in alienis natalibus naſcendi memoria, mulcemus, & compenſamus; ſic imaginata conſolatione fruimur; ſic idealem gaudemus imitari, aut potiùs fingere pueritiam.

Iuuabit tamen inter hæc mentis exhilaratæ tripudia, talem in anni exortu conditionem aduertere, cui potius inuidere conueniat, quàm gratulari. Imbecillis oritur annus, ſed ad ſtatuta incrementa ordinatè progreditur; nos, noſtræ ſortis incerti, vel in ipſis vitæ veſtibulis timere poſſumus infortunia, & inexpectata decrementa experimur. Ille vitia, quæ habuit in ortu, ætate ſuccreſcente diluit, & in ornamenta commutat; nos ab errato in natalibus leui ineuitabilem poſtmodum in ruinam dilabimur, nec ægritudines deteriores, aut mala contumaciora patimur, quàm, quæ ab ortu contraximus.

Hæc profectò recordamur vtiliter, & ſimul ad ea vitanda deducimur; hoc autem ſi aſſequimur, Medicinæ infantium regimen, & curam rectè inſtituenti debemus; ſic à natura vitam habemus, viuere, & benè viuere, à Medicina recipimus; ſic perfectiùs medica ope renaſcimur, & noſtræ mortalitatis incommoda reparamus.

De hac igitur adeò nobili, ac proficua Medicinæ parte, aliqua vobis exponere hac prælectione ſtatuimus. Argumentum, licèt à quamplurimis pertractatum, iterum audire non dedignemini. Curioſitati ſup-

plebit

plebit vtilitas, nec forſan deerit curioſitati locus; & puerilis materia, reflexione matura, ſeriaque ponderabitur.

Quod vt ordine congruo diſponamus, triplicem infantium ſtatum conſiderabimus; dum ſcilicet adhuc materno ſinu clauduntur, dum recenter in lucem prodeunt, & dum vſquè ad ipſam ablactationem, inter faſciarum vincula detinentur.

Antequam igitur infans, lucis vſura fruatur inter materni vteri carceres clauſus, imò, nec forſan adhuc integrè conformatus, ęrumnis compluribus ſubiacet, ſoluit imbecillitatis humanæ tributa, proprioſque parentes ſibi experitur infenſos. Non ſolùm ab illis ſimilem partium configurationem, extimamque figuram hìc accipit; ſed ægritudine conſimili, qua illi detinebantur, inficitur. Naſcitur proindè vt plurimùm podagricus à podagricis, ab epilepticis, epilepticus, à phthiſicis, phthiſicus, & venereos impudici patris characteres in ſemetipſo filius innocenter delineat.

Ab infecto parentum ſemine hoc prouenire generaliter ſcimus, ſed modum, quo id fiat præcisè non intelligimus; obſcuritatem auget, non tollit, hoc ſeminis temperaturæ, formatrici facultati, aut occulto cuidam magnetiſmo tribuere, vel in parentum phantaſiam, aut aſtrorum aſpectus refundere; facta tamen ſeminis ipſius anatome, ac animaduerſo modo, quo humani corporis ſtamina nectuntur, hoc forſitan illuceſcet.

Sed priùs vegetabilium ſemina conſpiciamus, homo

ſiquidem, qui ſentire habet comune cum brutis, habet etiam ſimile vegetari cum plantis. Ex paruo ſemine integra planta repullulat, eiuſdem ſanè ſpeciei, à qua ſemen illud exciderat; imò eaſdem vt plurimùm referens conditiones, quæ in priori planta iam fuerant. Ergo vis ex tota planta in ſemen illud deſcendit, deponitur, & tranſplantatur, nec equidem immaterialis, nam ab immateriali quomodò materiale conformaretur? Igitur (*a*) materiales plantæ ſeminantis particulæ, ex qualibet eius parte prouenientes, intrà ſemen clauduntur, ea proportione, ac ſtructura diſpoſitæ, vt epilogatam in ſemine plantam ipſam efforment. Quo pacto autem integra plantæ conſtitutio, ac ſtructura in minima ſeminis gemma ſic tranſplantetur, & claudatur, indèque organizati germinis conceptus adoleſcat, vel per fibrarum in ſemine priùs exiſtentium, complicationem, ac deindè expanſionem, explicari poteſt, itàut organizata quodammodò ſeminis ſubſtantia ſupponatur; vel ſuſpicari poſſumus claudi in ſemine plantæ ſeminantis particulas, priùs in ſalem redactas, cum in hiſcè ſalis particulis, diuerſimodè configuratis, remanere poſſit vis prior, ac ſignatura; quod ſicut in ſalibus artefactis, quotidiano experimento negari non poteſt, ſic in plantis ipſis naturalibus fieri deducitur ex tot, tantiſque mutationibus, quibus planta ipſa ſubiacet antè ſeminis perfectionem, tanquam præuijs ad ſalem extrahendum operationibus.

Præter

(*a*) *Malpig. anat. plant. Borell. de motu animal. tom. 2. prop.* 174.

Præter has ſalium particulas, liquorem quemdam puriſſimum credibile eſt à planta in ſemen ſtillare; in hoc illius balſamum reſidet, in hoc clauditur quinta eſſentia, ſulphur viuificum, & ſpiritale, iam priùs in planta ſublimatum, dum eiuſdem flores colorabantur, vel dum eiuſdem fructus matureſcebant. Vnctuoſis particulis liquor iſte non caret, quæ à ſeminum medulla materialiter etiam, plùs minuſuè reſudant.

Hæc pariter in humano ſemine continentur. Conſtat id inuolucro illo craſſo, quod conſpicimus, & ſpiritibus plaſticis, quos videre non poſſumus, ſed immateriales proindè non credimus; ad hoc enim, vt poſſit homo formari, ſoli ſpiritus non ſufficiunt; nec prò materia inſeruit ſolummodò craſſamentum illud impurum, quod eſt veluti ſeminis cortex; potiùs inuoluendis particulis melioribus deſtinatus.

Et hæ profectò particulæ, quas prò ſpiritibus congruè ſupponimus, nil aliud ſunt, quàm ſingularum noſtri corporis partium tincturæ puriſſimæ, ſanguinis, & ſuccorum ſpiritu ab illis extractæ, & in teſtium glandulis concreſcentes in ſalia, quæ ſignaturam, figuram, cæteraſque conditiones earum partium retinere poſſunt, quod nec ſalibus artefactis denegatur. Hinc benè dici poteſt, ſemen ab omnibus noſtri corporis partibus decidere, quatenus ab earum tincturis compaginatur, eaſque taliter intrà ſe epilogatas aſſeruat.

Non tota tamen in his ſalibus ſeminis energia reponitur; iungitur ſiquidem illis ſulphur ſubtiliſſimum, & ſuc-

& ſuccorum noſtri corporis pars oleaginea, vt ſic in ſemine, quo propagari debet ſpecies, non partium ſolidarum compendium tantummodò, ſed & liquorum noſtri corporis inſtilletur extractus. Obſeruari facilè poteſt in ipſo ſemine mixta cum viſciditate externa hæc vnctuoſitas, ſulphurque in eo latens per odorem etiam tranſpirat, ſicut & ſalium aculeos tentigo illa, ſeù voluptuoſus pruritus, qui in ſeminis eiaculatione percipitur, non abſcondit, quos tamen ſalium aculeos placuit Tachenio (*b*) in ſemine quidem ponere, ſed per aciditatem quamdam fermento analogam, iuxtà ſibi propoſitum ſyſtema, declarare.

Spargitur vterinos per agros ſemen hoc genitale, cui ſemen aliud fœmineum, (quod à pleriſque Neotericis ouum dicitur) occurrit; atque hinc in vtero clauditur, prout cæterorum vegetabilium ſemen priùs liquore aliquo emollitum, ac diſpoſitum terræ committitur; hinc, coadiuuante terræ circumſtantis, humore, ac pinguedine turgeſcit, & concalefacto, ac excitato ſulphure, motionem in ſemetipſo patitur, qua mediante, ex coaptatis, & diſpoſitis hiſce particulis, plantæ germen, intrà eas priùs clauſum, & reſtrictum, emergit, incipitque reddi conſpicuum.

Ità pariter genitale ſemen à fimo quodam, quem in vtero reſidere aliàs probauimus, (*c*) concalefactum, & ab efferueſcente ſulphureo ſpiritu ſibi immixto ebulliens, primò in ſua compage diſſoluitur mox, diſpoſitis in

(*b*) *Tachen. Clauiſ. Med. cap. 6.* (*c*) *In diſſert. de Motib. Vter. pag. 19.*

tis in excitata motione ſalium particulis, iiſque balſamici ſucci linimento deindè connexis, humani corporis prima ſtamina configurantur, quorum per nouam materiæ additionem deindè moles augetur, ſemper tamen primæ configurationi conformis, nec à ſalium menſura, ac proportione deflectens, ac proindè non ſolùm omnia membra formãtur, ſed in eis talis ſymmetria retinetur, vt vnumquodq; non ſolùm quoad ſtructuram, ſed etiam quoad ſtructuræ gradum, & modum priori conformetur vt plurimùm; hinc ſimilitudo natorum cum parentibus, hinc vitiata peculiariter quoad ſtructuram, & figuram parentum membra renaſcuntur in filijs, & conſequenter hi redduntur obnoxij eiſdem morbis, quibus afficiebantur parentes; cum morbus quilibet vitiatam partis alicuius ſtructuram, aut ſupponat, aut faciat.

Tinctura inſuper illa, quæ in ſale clauſa fuerat, tali occaſione reſurgit, & à ſalibus, in noua corporis compaginatione ſolutis, in membra nouiter efformata transfunditur; nil mirum proindè, ſi, remanente in ipſis præter antiquæ configurationis ſymboleitatem tali inſuper impreſſione, remaneat antiqui morbi ſeminium, quod ſuo tempore poſtmodùm exaltatur, & illuceſcit.

Condimentum, & robur ijs, quæ nunc diximus addat Hippocrates (*d*) loquens ille de ſimilitudine, quam cum patre, & matre habet conceptus, dicit: *Quod ex qua-*

(*d*) *Hipp. lib. de genit. num.* 8.

quacumque corporis viri parte plùs prodierit in genituram, quàm mulieris, fœtus ille in ea parte magis aſſimilabitur patri, quàm matri; & è contrà. Admittit igitur manifeſtè à corporis materni, aut paterni partibus aliquid in genituram tranſmitti: hoc immateriale eſſe non poteſt, ergò aliquid materiale, quod eamdem ſubſtantiam, ac configurationem in parua mole coarctatam, & abſconditam habeat, prout ſalia, ac ſpiritales eſſentiæ. Dicens proindè ibi Hippocrates: (e) *In vtriuſque parentis ſemine contineri maſculinum quid, & fœmininum*, non intelligendus eſt de aptitudine, quam vterque parens habet ad vtrumque ſexum gignendum, nec prò maſculino ſupponi debet robur maius, prò fœminino debilitas, exiſtens in ſemine; cum alijs verbis apertiùs de hoc ibi loquatur Hippocrates, ſed in fœminea ſeminis parte agnoſci debent ſalia, partibus configurata, & reſpondentia, quæ à ſpiritali ſulphure, ac eſſentia, à partibus generantis elicita, & in ſemine pariter aſſeruata, diſponuntur, aptantur, vniuntur, & in hoc maſculina ſeminis pars operatur.

Quid aliud inſuper intellexit Hippocrates, varias corporum conſtitutiones enumerans, à diuerſis mixtionibus, & gradibus aquæ, & ignis prouenientes, quàm diuerſas ſalium iſtorum, & ſulphuris eſſentialis miſcelas, fuſiones, volatilizationes, & cohobationes, quibus inuicem agunt, dum corpus humanum componitur. Hinc *tenuiſſimum, denſiſſimum, ac ſicciſſimum in aqua*; hinc

(e) *Hipp. ibid. num.* 7.

hinc *fortiſsimum*, *rariſsimum*, *aut humidiſsimum in igne:* (*f*) vndè diuerſa exurgit naſcentium corporum conditio, & robur; vndè non ſolùm figura, ſed etiam mores emergunt, qui hauſtos à parentibus conſimiles characteres, & in ſalibus, ac ſulphure, in aqua ſcilicet, aut igne reſeruatos, oſtendunt.

Ex longiori hac digreſſione, quæ dicendis etiam inſeruiet, hoc prò infantilium corporum regimine, & tutela deducimus; vt ſcilicet caueant infecti parentes, ne generationi operam præbeant, quandò ſuis indiſpoſitionibus detinentur, aut eo tempore, quo illæ ſolent inuadere, aut exaltari; ſic inſtantibus Lunæ motionibus venerem non exerceant epileptici, nec recurrente podagricæ inuaſionis periodo, genio indulgeant podagrici: nullus itidem horum in arenam deſcendat, niſi vel purgato priùs corpore, vel adhibitis recenter illis præſidijs, quibus proprij corporis vitium, ſaltem prò tunc, infringi taliter poſſit, aut eneruari, vt debiliorem ſui tincturam ſemini emittendo communicet. Inſuper, dum formatur, & creſcit in vtero fœtus, tali victu, talibuſque medicamentis aſſiduè mater vtatur, quibus mala læſarum partium textura mutetur in meliorem, & id, quod orditis partibus augumentum materiale tribuitur, vitio præcedenti opponatur.

Hoc non ea, qua par eſſet, diligentia exequntur parentes, quin imò inani quodam medicamentorum metu, ac deprauata cibandi licentia, quæ adhibetur in

F graui-

(*f*) *Hipp. de Dieta.*

grauidis, creſcunt ij morbi, qui iugulari faciliùs potuiſſent in cunis. Mutant colorem, & odorem flores, ſi eorum ſemina diuerſis liquoribus macerentur; delentur à ſylueſtribus plantis ſpinæ, aſperitates, & ipſa in eis ſenſibiliter figura mutatur, ſi culturam, dum illæ naſcuntur, adhibeas; cur ergò à tali cultura in humano ſemine hoc non ſperabimus?

Sed vanum eſt vt plurimùm id à matre ſperare; indulget illa ſuis commodis, corpus non exercet, moueri vix audet, victu vel nimis pleno vtitur, vel illum, plus quam par ſit, aduerſatur, ſemper tamen alimenta deteriora ſeligit, à quibus coaceruata prauorum ſuccorum ſarcina detrimentum fœtui, ipſique matri reſultat; multotiès enim vomitus, febres, cæteraque ſymptomata, quæ grauidis eueniunt, & à grauiditate prouenire creduntur, à grauidarum in victu licentia, à prauo alimentorum vſu proueniunt. Reſipiſcant igitur prægnantes mulieres, & intelligant, à benè ordinato viuendi modo, quo ipſæ vtuntur, vitam, & ſalutem infantis pendere, nec hæreditaria puerorum vitia corrigi poſſe, niſi priùs mater ipſa ſe corrigat.

Expetunt tamen inſanæ mulierculæ quidquid ſaluti non conuenit, imò, & adeò fortiter expetunt, vt ſi non valeant id aſſequi, vltrices denegati appetitus notas, filiorum corporibus imprimant, quod à forti matris imaginatione fieri, ne ſimul nos videamur imaginari, pauliſper conſideremus.

Idea, quam de re, intenſiùs imaginata, ac expeti-

ta, intrà ſe mulier excitat; conceptus eſt phantaſiæ, & eò quod durat, ens prorſus immateriale non eſt, ſed cum excitatis ſpiritibus aliquid aliud ad ſui durationem adiungit, vndè talem entitatem acquirit, quæ media eſt inter corpus, & ſpiritum, & rei imaginatæ figuram realiter repræſentat: hæc ſuo proindè lumine non orbatur, quo ſe viſibilem menti reddit, eiuſque luminis diuerſa reflexione, diuerſos ad ſui determinationem colores induit; quos profectò, etiam clauſis oculis, ſępè conſpicimus, tanquam luminis interni picturas. Fœcundatur etiam à tali lumine hæc entitas ideata ſimilibus generatis particulis, auctoque ſic magis ſpirituum motu, & indè menti matris fortiùs, & latiùs imprimitur; fieri autem non poteſt, quin fœtus, tam proximè, & ſtrictè vnitus matri, de his non participet, prout & materiales ſuccos omnes à matre recipit, & eiuſdem ſingulas motiones in ſemetipſo experitur. Communicatur ergò cerebro infantis id, quod mater priùs habuit, & talis appetitus imaginati motio ab ipſo etiam percipitur, quin imò idealia corpuſcula paritèr in eo conformantur, par in eo ſpirituum agitatio ſubſequitur, par in ſucco nerueo, particulis ideatis imbuto, commotio; vndè & motus ipſos, quos ex vi talis imaginationis mater ædit, imitatur & infans; partem proindè, quam mater tangit, & ipſe tangit, & fit impreſſio particularum ideatarum, quæ in tali motione emittuntur in ea parte corporis, vbi motus dirigitur, & faciliùs quidem in corpore in-

fantis teneriori, & molliori imprimuntur; in corpore matris duriori non remanent.

Hanc, quam partim ab Helmontio, (g) partim à Dygbeo (h) hypoteſim hauſimus, & veriſimilem prò viribus fecimus, vnuſquiſque amplectatur, aut reſpuat, aut ſibi fingat in re tam abſcondita meliorem; id ſolummodò ad vtilitatem infantium ſtatutum remaneat, dupliciter arceri poſſe has ab infantili corpore ſignaturas; primò inflicta matri dolorifica aliqua ſenſatione, qua mediante, reuocati ſpiritus à phantaſmato opere ſe remoueant; vel excitata aliqua animi paſſione contraria, aut diuerſæ rei appetitu, quibus incepta idea deſtruatur. Secundò, exhibitis matri per aliquod tempus copioſis potionibus, alimentoque valdè diluto illi aſſiduè oblato; ſic enim inter alimentoſi huius liquoris affluentias immerſæ ideatæ particulæ, aut diſſipabuntur, aut præterfluent, aut ſi impreſſæ iam fuerunt infanti, ab humidiori alimento adueniente diluentur.

Proponeret inſuper ſympatheticus aliquis veſicantia, aut ſcarificationes, in matris corpore faciendas, quò per tactum ideatas particulas illa aduocauit, putans eo pacto, quo per tale emiſſarium ibi excitatum, à matris corpore illæ remouentur, per ſympathiam pariter à conſimili parte corporis infantilis illas extrahi poſſe. Sed hoc, cum ratione doloris non conueniat, & multoties in aliquibus corporis partibus fieri non poſſit, prò nunc indeciſum remaneat.

Hæc

(g) *Helmont. de ignot. act. regim.* (h) *Dygbeus in Orat. de pulu. ſympat.*

Hæc potiùs, imò, & maiora tormenta mulieribus illis ſtatuta remaneant, quæ, non ſolùm excedenter imaginantur, ſed turpiter etiam delirant. Vel putant, ſe prægnantes non eſſe, vel credunt, ſe celaturas, quod in ſui notione augetur quotidiè, vel erubeſcunt oſtendere, quod comiſiſſe non puduit. Affectant proindè ſtrictioribus veſtibus indui, & aluum excreſcentem faſcijs vndèquaque comprimunt; curru præcipitèr vehi, choreis intereſſe, aphrodiſijs exerceri non deſinunt, vt voluptati, ac libidini ſatisfaciant, cum interim ob anguſtatam ventris peripheriam, improportionatus, ac exilis formetur infans, aut, accelerato per motionem intempeſtiuam exitu, abortiuus oriatur. Compati his infantium ærumnis nos poſſumus, remedium præbere non poſſumus, cum mater effræna, & inſaniens ſuaderi non poſſit, vt hæc mala præcaueat.

Ad meliores curas nos aduocat puer, qui iam naſcitur. Reciſus vmbilicalis funiculus, quo cum placenta nectebatur, ab obſtetrice ligatur: aduertat hoc Medicus, an ex ligatura laxiori remanere poſſit exomphalon, nempè eiuſdem laxati protuberantia, aut cum infantis diſcrimine ſanguinis effuſiones eueniant: aduertat, ſi libuerit, an in debito ſitu, & menſura vmbilicus ligetur, ne ſua pariter menſura genitales infantis partes defraudentur, quæ, prò longiore, aut breuiore vmbilici ligatura variantur, ſi Ioannem Doleum (*i*) hoc nuperrimè ſcribentem audimus, licèt id à Spigelio

(i) *Doleus lib. 6. cap. 1.*

gelio, (*k*) & Mœbio (*l*) reuocetur in dubium.

Succedit huic operationi infantis lotura, quam vel omnimodè damnant Authores, vel tepida ſimplici, aut vino faciendam concedunt. Nos, ſicuti balneum, aut immerſionem reijcimus, ſic etiam lotionem, ſimplici tepida factam, non probamus, eò quod emolliat nimis, ac eneruet tenue corpuſculum; vino potiùs leuiter immixtam concedimus ad artuum roborationem, aut potiùs ex Galeni mente (*m*) modicam ſalis miſcelam proponimus: Dixerat ille infantis, recenter nati, corpus, ſale conſpergendum eſſe, vt ſic reſpectu cæterarum partium talis denſitas induceretur in cute, qua ambienti, nouiter aduenienti, aſſueſceret, & tolerantiæ, ac indolentiæ aptior exiſteret. Nos per ſalis aculeos, aquæ immixtos, cutem, ſic præmunitam, inſimul perforari, & ſuis in porulis ſeruari peruiam, intendimus, ex quo tanta corpori reſultare debet vtilitas, præter eam, quam à contractis in vtero vnctuoſis ſordibus, & mucoſis excrementis illi abſterſionem actualiter elargitur.

Poſcit interim alimenta ſuis vagitibus infans, iam lotus, mollibuſque faſcijs diligentèr, & æqualitèr inuolutus, ne inæqualem, & morboſam conformationem ab inæquali, ſeù ſtrictiori faſcia membra recipiant. Sed dubitare poſſumus, vtrum expediat ſtatim hoc illi concedere? Dubitationis eſt cauſa turpis illa meconij conge-

(*k*) *Spigel. de human. corp. fabric. lib. 8. cap. 17.* (*l*) *Mœbius fund. med. cap. 19. num. 23.* (*m*) *Gal. 1. de ſanit. tuend. cap. 7.*

congeries, intrà corpus infantis aggeſta, quæ acido ferino ſaturata, ac per motum infantis naſcentis agitata ferueſcit, & potiùs ad inſtar muſti ſubſultat, quàm more fermentali operetur. Expurgari igitur priùs debent hæ ſordes, moderari priùs debet earum acor, ne lac adueniens ad earum contactum aceſcat, grumeſcat, coaguletur, vndè funeſta poſtmodum infantibus eueniant ſymptomata, & ſatis ſuperque materiæ huius feritatem, dum euacuatur, miſelli præſentiunt. Præcedat ergò lacti id, quod hæc excrementa mitiora facit, & diſponit ad exitum, ſit prò lacte nutrimentum, & medicamen oleum amygdalarum dulcium, eique non tam lac, quàm ſerum lactis muliebris ſuccedat. Hinc medica indicatione non caret id, quod à mulieribus nonnullis ſub imagine religionis efficitur. Præbent illæ recenti infanti modicum auri, thuris, & myrrhæ, munera, nato Numini in cunis oblata recolentes; ſed talibus alkalicis, & amaris, huius impuritatis aciditates ſimul corrigere ſtudent; & methodum nutritionis diſponendæ ſic indicant.

Cum igitur antè lac lactis ſerum conueniat, & præ cæteris omnibus lac ipſius matris puerperæ ſero plurimo diluatur, illud propinemus infanti. Recedant proindè importunæ nutrices, quæ ſuo lacte, vetuſtioribus fermentis imbuto, & craſſioribus particulis referto, corpus infantile non purgant, ſed ei morborum ſeminia ſuppeditant.

Et equidem non hac tantùm de cauſa nutricum

lac improbatur, maternoque longè poſthabendum cenſetur. Adeſt maior infantis cum nutrice diſparitas; ab earum intemperantia, erroribus in victu, & animi motionibus lac alteratur, agitatur, ſylueſtre redditur, meliori ſpoliatur dulcedine, ac præ cæteris illi deeſt condimentum amoris, vndè in euidens filiorum damnum, proprio lacte, ijs denegato, lac alienum genitrices ſubſtituunt, ob id communiter, & inceſſanter tanquam crudeles notatæ, ac proindè indignæ vt matres vocentur, cum mammas filijs negauerint.

Non adeò tamen nutricum lac aduerſari debemus; vt quandoque illud materno præferri non poſſit. Cenſuit Hippocrates: (n) *Lac proprium bonum eſſe, lac alienum noxium; ſed è contrà lac alienum bonum eſſe, & proprium lac noxium, nam & conſonans, diſſonans eſſe poteſt, & è contrà diſſonans aliquandò fit conſonans*, vt ipſe *libro de alimento* loquitur. Requiritur ſæpè numero ad infantium medelam lac alienũ nutricis, cum lac matris, quod proprium eſt, illis fiat noxium, & non ſemel, relicto matris lacte, quod illis non conformabatur, reuiuiſcunt infantes, ſi lac alienum particulis melioribus compaginatum, aſſumant, eo pacto, quo aliquandò extraneum aerem vtiliùs, quàm natiuum reſpiramus, aut alieno in ſolo tranſplantata germina meliora fiunt, & per inſitionem extranei ſurculi meliores fructus dat arbor, qui à proprio trunco ſylueſtres, aut nulli proceſſiſſent.

Hinc

Hipp. lib. de alimento num. 8.

Hinc lactis boni conditiones non generali regula ſtatuendæ ſunt illæ, quæ tales eſſe videntur, ſed ſpecialiter illæ ſunt, quas vnius cuiuſque infantis conſtitutio ſibi magis accomodat, & prò diuerſis corporum, aut morborum circumſtantijs variari debent, quæ ſanè conditiones, mutatis alimentis, aut correctis in muliere lactante ſuccis, induci debent in lacte.

Quod certè, quamuis in ſe vitio non careat, ſi tamen inordinatè puero exhibeatur, euadet noxium. Obruunt filios, non alunt aſſidua lactis ingurgitatione mulieres; ſæpiùs cibandi ſunt pueri, *quia difficillimè ieiunium ferunt, quia cum creſcunt, plurimùm habent calidi innati, ideòque plurimo indigent alimento:* (o) non tamen ob id in inſtanti alimentum concoquunt, ſed debita temporis ſpatia requirunt, in quibus, priore cibo actuato, poſteriori poſſint incumbere. Partitis igitur diei horis lac offeratur, & ſenſim ad infantis augmentum eius quantitas augeatur: meliùs erit, vt ille leuiore gemitu priùs alimentum expoſcat; ſic enim per excitata fermenta, vlteriùs, & promptiùs id, quod aſſumitur, concoquetur.

Quod, ſi à ſolius lactis exhibitione, ſi excedat, damnum timeri poteſt, augebimus nè pericula, ſimul cum lacte pulticulas quaſdam, aut micas panis, aqua excoctas, addendo? Profectò primis menſibus id non expedit facere, ne multiplici, aut inuſitato alimento grauetur infantium ventriculus, ne, craſſiori, crudòque

G ſucco

(o) *Hipp. 1. aphor. 13. & 14.*

ſucco aggeſto, impediatur alimenti diſtributiò, liberumque tollatur, quod ſeruari debet inter vaſa, commercium; accedente tamen ablactationis tempore paulatim, & gradatim à lacte ad pultem, aut aliud conſimile tranſitus fiet, vt nouo cibo puer aſſueſcat: Vitetur tamen vtriuſque in ventriculo actualis miſcela, nam ſtomachale puerorum fermentum, diuerſo ſimul operationis gradu occupari non ſubſtinet; partitis igitur horis, & inter ſe diſiunctis, lac offeratur, & cibus à lacte diuerſus, donec infantem ablactare conueniat.

Sed, vt lactis ingeſti coctio faciliùs eueniat, & promptior fiat alibilis ſucci in corpus pueri tranſmutatio, oportet, vt dormiat. Somnum dulcibus nenijs, & aſſidua cunarum motione nutrix illi conciliat; ſed quomodò motus ſomnum illi inducere poteſt, ſi ſomnus à quiete naſcitur in adultis?

Somniat tamen, qui hæc obijcit, nec aduertit, quod licèt in ſomno quies adſit; tamen labor præcedens ſupponitur, cuius cauſa diſſipati ſpiritus reuniuntur, & per ſomni otia reſtituuntur, nec debita cerebri fit irrigatio, quæ ſomno excitando conuenit, niſi per præcedentem corporis, aut mentis motum illùc confluat ea ſanguinis, & ſucci neruei quantitas, quæ illam ſufficienter inducat. Deficit infantibus, recens natis hic corporis, aut mentis motus præcedens, qui in adultis non deficit; igitur per cunarum vndulationem, factis in eorum muſculis diuerſarum ten-

ſionum,

ſionum, ac preſſionum motionibus, illorum corpora dulciter exercentur; vt ex dulci motu, leuiter expanſis ſpiritibus, & moderata ſuccorum effuſione irrigato cerebro, dulcis pariter in ſomno quies oriatur.

Dirigitur hæc, quam narrauimus, infantium educatio, vt plures ab illis arceantur morborum inſultus, quibus eorum ætas tenella ſubiacet: Hi ſunt præcipuè tormina, epilepſiæ, lumbrici, variolæ, dentitionis pericula, febres: Horum quilibet præ cæteris prò ſui examine integram tractationem expoſceret, quæ huic adiungi non poteſt. Duo tantùm præſidia medica morbis compluribus arcendis, conuenientia, breuiſſimè examinemus, dum adhibentur infantibus.

Horum alterum eſt corporis purgatio, alterum eſt ſanguinis miſſio. Purgare illos ſemper poſſumus, imò quandòque debemus, medicamenta blanda, & ætati conuenientia ſeligentes, quæ meliùs immediatè illis dabimus, non matri offeremus; etenìm ſic eorum ſal volatile non diſperditur, ſed alacriter operatur: quod ſi à matre aſſumantur, incertum remanet, qualis in eius corpore præexiſtentium ſuccorum indè ſubſequtura ſit motio, à qua potiùs inquinetur lac, nec purgentur, ſed conſpurcentur infantes.

Sanguinem mittere recenter natis puerulis, eſt immaturi ſanguinis inutiliter compagem ſoluere, quæ adeò facilè reaptari non poteſt; exequi tolerabiliùs hoc poterit ſubſequentibus menſibus, dummodò neceſſitas vrgeat.

Ablactatus denique puer, & grandior factus, ſollicita Parentum cura diſciplinis imbuitur. Mea paritèr infantilis Oratio, (quæ nimiùm fortaſsè creuit) vobis erudienda ſe ſiſtit: Ornatiſſimi Viri: Præceptores tamen vos, non Cenſores exoptat. Placent, riſùque excipiuntur puerorum ineptiæ, eiſque caſtigandis adhiberi ſolet mixta cum pietate ſeueritas: Sic à vobis redarguetur iſta, ſed dulcitèr; habebit in correctione amoris monita, incitamenta Virtutis.

IV

DE SENECTVTE,

& Senum Regimine.

DISSERTATIO.

Propè anni finem habita.

COMPLEXVM amoris, & odij, familiarem quamuis, & frequentiſſimum; reconditum nihilominùs, ac difficilem ſimul experimur, & ignoramus. Anguſtis diętę limitibus ſe coercent plerique; voluptatibus, conuiuijs, illecebris quibuſcumque renunciant, ingrata medicamentorum pocula non recuſant, ferrum, ignemque ſubſtinent: vt per morborum præcautionem, aut propulſationem, vita protracta, fiant ſenes: Laboribus quibuſcumque non parcunt, quicumque ſanæ ſunt mentis, vel in mechanicis operationibus inſudantes, vel inter ſtudia tabeſcentes, vel in acquirendis per negociationes diuitijs ſordeſcentes, vt expectato ſenectutis in otio tandem quieſcant, quam vel præuiſam, vt commodiùs, & liberaliùs excipiant, opes,

opes, & commoditates ſibi ſollicitè parant, meliores, & robuſtiores vitæ annos in aduenientis ſenectutis vtilitatem ſacrificantes. Quantus ſenectutis eſt amor! Quanta ſeneſcendi cupiditas! Aduenientem tamen, & iam iam proximam cum ſentimus, eam primò nobis ignotam ſtudemus fingere, annorum numerum, quantùm poſſumus, mentientes: indè citiùs aduenientem tacitis ſalutamus ſuſpirijs, & quam iamdiù præuiſam habuimus, inexpectatam, & importunam nunc dicimus. Illam tandem hoſpitari dum cogimur, ne deinceps in lucem prodeat, prò viribus occultamus; pilos proindè vel tingimus, vel inceſſanter abradimus, laruatis comarum cincinnis fœdam contegentes canitiem; faciei rugas, & ſepulchrales pallores, fucis, coloribuſque palliamus; demolitam dentium ſtructuram fictitia appoſitione reſarcimus; quæcumque ætatis ingraueſcentis indicia ſupprimimus, nomenque ſenis opprobrioſum, ætatis maturioris titulo cohoneſtamus. Quin & diſplicet etiam aliena ſenectus, cum à confabulationibus, à conuiuijs, à ludis arceantur ſeniores, eorumque præſentia tædium moueat, & nauſeam: Quantus ſenectutis eſt horror! Quam exoſa ſeneſcentium conditio! Ità nè illam cuius amplexum, longiores nobis vitæ annos precando diù ſuſpirauimus, cùm iam tenemus, abominamur, eijcimus? Cur quæſo, aut quomodò ſeneſcere ſimul volumus, & ſeneſcere recuſamus? Quęnam contradictionis huius, quę volubilitatis iſtius, ne dicam temeritatis, eſt cauſa? Soluat ęnigmatis huius amba-

ambages ſophiſticas ipſius met ſenectutis examen, coerceat hæc vana deliramenta prudens Medicinæ conſilium; ſic illa notior, & familiarior nobis reddita, nec appetitum poterit mouere, nec odium, ac vtilibus præceptis facta ſuauior, æquali ſtudio, coletur, affectuque indifferenti, præſens, & abſens amabitur.

Nos, qui in anni huiuſce principijs, vitæ noſtræ primordia recolentes, eorumdem rectam inſtitutionem, examinato regimine infantium expoſuimus, anni eiuſdem confinio iam properante, normam rectè ſeneſcendi proponimus. Vos, quibus, ſi non ætas, canitiem dedit prudentia, inutilem hanc diſſertationem habebitis; illa tamen, auribus veſtris expoſita, vtilitatem, & ornamentum acquiret, eritque illi proculdubio glorioſum, conſumatis in doctrina viris, conſilia non dare, ſed ab ijſdem documenta recipere.

Præſcriptos ſenectuti terminos, legum decretis ſancitos, authorũ placitis confirmatos, ipſaq; oculari experientia patefactos, ab anno ætatis ſexageſimo vſque ad vltimum viuendi finem iam ſcimus; illam, tripartito ſeneſcendi gradu progredientem, iam nouimus; occultam tamen, ac extemporaneam ſenectutem, & remotiora illius rudimenta forſan non omnis aduertit; caneſcere, & annorum numero obrui, non idem ſemper eſt, ac ſeneſcere, nam & ſub annis vitæ recentioribus ſæpè poteſt latitare ſenectus, quam in ipſis etiam pueris obſeruauit Galenus. *(a)*

Tempe-

(*a*) *Gal. de Diff. Febrium cap.* 8.

Temperamentum illi frigidum, & ſiccum ſemper aſſignatum audiui: defectum humidi radicalis, langueſcentiam natiui caloris, humidi illius pabulo deſtituti in ſenibus adeſſe, antiquioribus Medicinæ tabulis inciſum perlegi; ſymptomata quælibet, quæ in ætate grauiore contingunt, quaſlibet ſeniorum actiones, aut paſſiones, ad has cauſas, ad hæc principia iam reduxerunt Medicinæ Scriptores, ſed cum humidi iſtius radicalis, colorem, ſubſtantiam locumque, vbi aſſeruatur videre, & caloris huius natiui peculiares affectus ſenſibiliter obſeruare, permiſſum adhuc non fuerit, ſenſuum ope deſtitutus intellectus, hæc credere quidem voluit, imaginari potuit, illis tamen firmiter non acquieuit.

Vitam igitur noſtram, viuendique progreſſum ex bona ſanguinis, & alibilium ſuccorum conſtitutione, ſed præcipuè ab eorum recto motu, & diſtributione pendere, experientia duce cognoſcimus; ſi enim qualibet occaſione fluidorum hic motus, vel ad corporis vtilitatem expanſiuus, vel ad ſui met depurationem fermentatiuus, minuatur, aut ceſſet, vitæ noſtræ detrimenta ſtatim ſuccedunt, viuendique progreſſus aliqualiter remoratur. Nec in fluidis tantummodò eſt neceſſarius hic motus, ſed in ſolidarum partium coaptatione, non otioſus quidam ordo debet ſeruari; niſi enim, quæ noſtrum corpus componunt particulæ, aptè ſint locatæ, vnaque alteri fulcimentum, & proportionem ſubminiſtrando, talem ſeruet texturam in corpo-

re, quæ

re, quæ vaſis debitam amplitudinem tribuat, quæ requiſitam, & conuenientem conformationem cribris glandularum, & parenchymatum inducat, quæ liberum vndequaque in poris tranſpirabilitatis comercium permittat, quæ fibrarum diſpoſitionem, & interpoſita illis ſpatiola ſeruet, ſubſtineri vita non poteſt, ſed ponitur in diſcrimine; non enim ſucci alibilis irroratio æqualiter quòcumque peruenit, non fit prò cuiuſlibet partis alimonia ſucci conuenientis ſecretio, non expirat id, quod retentum, potiùs aggrauat, nec vniuerſim hauriuntur, vt cũ Mayovvio (*b*) loquar, nitroaereæ particulæ, ſecum afferentes balſamica, ac multigena quædam effluuia, vndè ſuccorum in vniuerſo corpore fluiditas excitatur, & perennatur, non tandem fieri poteſt debita partibus renutriendis, & reſarciendis alimenti appoſitio, quæ in ſpatiolis, ac cauitatibus, à præcedenti exinanitione vacuis redditis, incuneari non poteſt, niſi in muſculorum, & ſolidarum partium ſtructura conuenientia ſpatiola, nouo alimento aduenienti locum præbentia, remanſerint. Et in his profectò motionibus, in his aeris aduenientis afflatibus ſitus eſt calor ille natiuus, hæc ſuccorum alibilium motio, hæc illorum bona conſtitutio, eſt humidum illud primigenium, quo verè partes reficiuntur, quod calorificas, vegetaſque in corpore motiones coadiuuat quidem; ſed potiorem ab illis recipit impulſum, & perfectionem.

(*b*) *Mayovv. tract. de reſpirat.*

Hæ autem ſuccorum ordinatæ motiones dum ritè procedunt, hæc partium apta locatio, dum perſeuerat, & donec illæ, dum ſuo quieſcere videntur in ſitu, nihilominùs operantur neceſſariam in corpore ſeruando ſymmetriam, ſanitas adeſt, feliciter vitæ munia exercentur, florentis ætatis apparent indicia. Quod ſi motiones hæ peruertantur, &, mutato particularum ſyſtemate, meatibus, cauitatibus, poroſitatibus, cæteriſque membris requiſita proportio adimatur, ægrotant corpora, varijſque incommoditatibus redduntur obnoxia, ſicque, vel in iuuentute ipſa, valetudinariè viuendo, ætatem, ſenectutis ęmulam, quamplures ſæpè experiuntur, omnibus, imò peioribus, & habitualibus affectionibus ſtipatam, quæ ordinariæ ſenectutis ſunt propriæ, & ſicut in his vitæ finis celeriùs aduenit, ſic in tempore mortem antecedente, hi anticipatè ſeneſcunt.

Reparabiles tamen eſſe poſſunt, & reſarcibiles hæ, quæ corpori adueniunt, in ſtructura læſiones, cum vel ab externa cauſa, vel accidentaliter, & extemporaneè ab infeſta aliqua occaſione proueniant; ac proindè, ea ceſſante, cum poſſint priſtinæ locationi reſtitui, morbi nomen habent, non ſenectutis; ſed cum adeò ſenſibilis, & magna eſt illa ſtructuræ alteratio, vt redire vllo pacto ad ſuam configurationem corporis particulæ vniuerſim non poſſint, quinimò creſcente diſcompaginationis vitio, magis dehiſcant, tunc adeſt vera ſenectus, quam mors tandem ſubſequitur, nullo habito ad numerum annorũ maiorem, aut minorem reſpectu.

Hæc

Hæc corporis ſeneſcentis, & diſcompaginati ruina materialium ædificiorum ſimilitudine demonſtratur; in illis quippè ruina non tam ab ædificij vetuſtate, aut ab alterius rei defectu dependet, quàm à vitio compaginationis, & locationis; ſi enim eius partes à proprio ſitu mutatæ, rimulam faciant, dum hæc reparari non poteſt, vetuſtas cum ruina ſubſequitur. Similitudinem hanc ſenectutis cum ædificio, & irreparabilem in ea ex corporis diſcompoſitione ruinam concinnis profectò verbis Seneca (c) expreſſit. *Sicut in naui* (inquit ille) *vni ruinæ, aut alteri obſiſtitur, ſed vbi plurimis in locis laxari cæpit, & cedere, ſuccurri non poteſt nauigio dehiſcenti; ità in ſenili corpore, aliquatenùs imbecillitas ſubſtineri, & fulciri poteſt: ſed, vbi tanquam in putri ædificio omnis iunctura diducitur, circumſpiciendum eſt quomodò exeas.*

Verùm quidem eſt hoc poſt plures annorum decadas faciliùs euenire poſſe, quàm in antecedenti viuendi curriculo, quia per diuturniorem viuendi durationem, attritæ corporis noſtri particulæ, eneruatæ, & ſpiritibus quibuſdam mechanici authomatis motoribus, (quos Helmontius appellauit fermenta,) deſtitutæ, cæteras ſibi adiacentes ſubſtinere non valent, nec ſe ipſas in debito ſitu continere, ſed potiùs laxatæ, & in ſemetipſas concidentes, corporis compaginationem inęqualitèr euertunt, ſicque, vel improportionatæ quædam rimulæ alicubi aperiuntur, vel alibi per ni-

(c) *Senec. epiſt. 3. Helmon. de caloris digeſt. num. 25.*

miam particularum concidentium addenſationem, corpus contrahitur, incuruatur, & fit manifeſtè rugoſum, denſum, & ſiccum, & per conſequens ex parte minùs tranſpirabile, magiſque imperuium, ex parte etiam nimis laxum, ac veluti dehiſcens: in totum autem incommodis excipiendis, & multiplicandis, non verò propulſandis apertè idoneum, quamuis hæc in totum, eo modò, quo realiter fiunt, manifeſtè oculis non appareant.

Deficit tunc temporis inſuper ſeminale illud gluten, non quidem fictitium illud, quod inter ſecundarios humores olim recenſebatur, ſed illud, quod in particulis corporis à prima earumdem conformatione fuerat inſtillatum, quo mediante, vna alteri nectebatur, & alimoniæ adhęſionem ad proprium augumentum, & conſeruationem ſibi parabat, quodque per humidum radicale forſan poſſet intelligi; vndè non ſolùm per huius defectum facilè ab inuicem diſcontinuantur, ſed fiunt quodammodò carioſæ, & friabiles, ac proindè functionum oneribus ſubſtinendis inhabiles, prout euenire videmus in lignis carioſis, quorum robur minuitur, & alteratur ſtructura, non per ſolam particularum diſlociationem, ſed per glutinis particulas connectentis euaneſcentiam. Per hoc tamen non tollitur, quod in ætate etiam ingraueſcente gluten hoc maiori ex parte remanere poſſit illęſum, & ſic non obſtantibus aliquibus ſeneſcendi apparentijs, corpus in ſtructura, & energia, quantùm poteſt, inconcuſſum remaneat.

Adſti-

Adſtipulatur his, quæ iam diximus, nè chimericam videantur ſapere nouitatem, venerandus Platonis(*d*) aſſenſus, mechanica demonſtratione hæc confirmantis: dixit ille, recentem animalis cuiuſque compoſitionem nouis quibuſdam, veluti triangulis conſtare, validamque ſtructuram recipere; materiam autem, ex qua trianguli iſti formatur, initio ætatis eſſe molliorem, ſed cibis progreſſu temporis indurari, ſuppeditata ab his ſolidiori materia, & ſic animal creſcere, atque vigere; relaxari poſteà longo tempore à contrarijs, & à laboribus hanc triangulorum compagem, & hinc animal minui, atque deficere, & detrimentum hoc ſenectutem dici, in qua tandem vincula, quæ nectebant triangulos, penitùs relaxata, & impotentia reddita, nexus animæ deſerunt, vt illa clam, ſecundum naturam, & cum voluptate euolet, & ſic ſenio confectum animal tandem moriatur. En igitur in relaxata triangulorum compage vitioſam corporis vniuerſi ſtructuram; en, in vinculo triangulorum deficiente, gluten ſeminale deperditum; en ex duabus hiſce cauſis corpus ſeneſcens.

Senectutis aduenientis ſic explanata conditio, illam nec odioſam nobis reddet, & repugnantem; vtpotè cuilibet ætatis gradui coaptabilem; nec proindè familiarem adeò nobis, & amicam illam efficiet, vt eius acceſſum, & conſortia prò viribus non auertamus. Non leuia igitur ſollicitudinum noſtrarum ſtudia eò collimabunt, vt in annis vitæ noſtræ vegetioribus corpus

(*d*) *Plato in Timeo.*

pus ſenectuti reddamus imperuium, ipſumque talitèr præmuniamus, vt cum anni poſteriores acceſſerint, ſenectuti quantùm poterit reluctetur, & deſcriptas in ſtructura mutationes, enarratas partium dehiſcentias, aut concidentias quàm minimum, & tolerabiliter patiatur, & quamuis tunc nil habeat, quod ſperet, vt mortis iam vicinioris acceſſus impediatur, eiuſdem tamen detrimenta minora perſentiens, fortitèr ſimul reſiſtendo, & facilè tolerando, diutiùs quidem, ſed molliùs, & quaſi cum voluptate moriatur.

Bonæ ſenectuti fundamentum in pueritia iacitur, firma ſcilicet ad ſanitatem corporis conſtitutio: Adhibenda in adoleſcentia ad viaticum ſenectutis eſt temperantia, & illius tranquillo ſub cœlo adornanda ſunt ea, quibus contrà huius tempeſtatem egebimus. Salubria hæc Plutarchi (*e*) monita effrenes, & intemperati iuuenes quamplurimi reſpuentes, immoderatis curſuum, venationum, ludorum exercitijs quaſſati, ab excedente venere emuncti, intempeſtiua, & inhexauſta crapularum ingluuie obruti, ſymmetricam corporis conſtitutionem ſic neceſſariò concutiunt: modò impetu violento rariorem faciunt, modò inſolenti aggrauatione, denſiorem; quid mirùm igitur, ſi ad leuem quamlibet occaſionem illa dehiſcat, celeriùs quàm par ſit inueteraſcat, & creſcentibus tandem annis, peiorem, & infeliciorem reduplicet ſenectutem?

Nec minùs recto aberrant à tramite, qui ſub mendaci

(*e*) *Plutarch. de liber. inſtit.*

daci præcautionis pallio nimis inquietè prudentes, ob ſenectutis arcendæ deſiderium, anticipatè deficiunt, ijs interim, qui in bona ſenectute robuſtè, & felicitèr viuunt, eos irridentibus: Hi ſcilicet illi ſunt, qui, ore geometricè compoſito, aerem proportionatè reſpirant, qui cibos, potumque, vſque ad minima diuidunt, ac ponderant, qui Medicorum pediſſequi, ab ipſis, vel inuitis, medicamenta extorquent, & frequenti purgantium vſu, ea ſibi adimunt, quibus carent, & poſtmodum exucci facti, Auicennæ (*f*) præceptum inutilitèr recordantur, quod *Medicina purgat, & inueterat*, nihilque habentes, quod ſibi detrahant, cum iam per ſcrupuloſam diętam ſibi omnia detraxerint, facilè conſumuntur, & mole corporis carioſa, aut rimoſa facta, propria culpa ſeneſcunt.

Ille igitur ſenectutem deludet, & coercebit, qui corpore, antecedentèr non exhauſto, ſed firmitèr adhuc cohęrente, ſenectutis annos non ſenex ingreditur, non tamen in totum hoc illi ſufficiet, niſi ſolidam, quam ſeruauit, conſtitutionem, adæquata viuendi norma, dum pericula creſcunt, ſuffulciat. Victum proindè in qualitate, quantitate, & ordine conuenientem inſtituat. Controuerſiam tamen inueniet, ſi Hippocratis, (*g*) & Galeni (*h*) oracula conſulat: Præſcribit ille in libro de ſalubri dięta, victum ſicciorem, cum humida, & mollia ſenum ſint corpora: hic è contrà: victum humi-

(*f*) *Auic. lib. 1. fen. 3. doct. 2. cap. 1.* (*g*) *Hippocr. de ſalub. diet. num. 2.* (*h*) *Gal. 5. de ſanit. tuen. cap. 8.*

humidum probat, ſicciorem tantummodò excrementoſis quibuſdam ſenibus, & prò accidentali corrigendo vitio ad breue tempus permittens; vtrique tamen ſimul aſſentietur, ſibique conſulet, ſi cibos inſipidos, maximè humidos, facilèque præterfluentes cum Hippocrate fugiat, ſicque aridos, auſteros, exuccos, ac præ ſoliditate incoctiles, & remorantes cum Galeno reijciat, eiſque meliùs vtatur, qui ſucco nutritio plurimo abundant, eoque ſubſtantiæ corporis facilè aptabili; & conſiſtentiam habent ex ſicco, & humido ſuáuitèr, & moderatè mixtam, glutinoſam ſcilicet, vt corpori adhęreat, pinguem, & vnctuoſam, vt contractam quamdam in partibus ariditatem deliniat, particularum diſſitarum ſpatiola repleat, eaſque inuicem reaptet, & vniat. Inter hæc ſunt iuſcula, quæ ſimul moderatè ſunt pinguia, & ex ijs animantium partibus parantur, quæ nerueæ omnimodè non ſunt, ſed ex carne, & tendinibus mixtæ, ſubſtantificum gluten, mediamque conſiſtentiam obtinent ventriculo non reluctantem; inter hæc ètiam connumerantur frumentacea grana, & ea ſemina, quæ parua in mole multum habent ſubſtantiæ alibilis, eamque viſcidam, & vnctuoſam; ex eis autem paranda pulmenta, cremores, ptiſanæ, prout ex farre illam prò ſenibus parabat Galenus *(i)* qui lac etiam pro ſenum alimonia non improbauit, vbi tamen eorum viſcera benè ſint conſtituta, lactiſque ſubſtantia in ſe vitioſa non ſit, exemplum agricolæ illius afferens,

qui

(i) Galen. 5. de ſanit. tuend.

qui per centum, & plures annos incolumis vixerat, lacte vt plurimum victitans, additis thymi cacuminibus, & melle. Et profectò ea dulcia, quæ de viſcido quodam participant non erunt incongrua, hinc ab eodem legimus (*k*) comprobatas ficus maturas, aut caricas; & plurium voto mel celebratur, non ſolùm quia roridis, & balſamicis florum portionibus conſtat; ſed quia, ſicut in fructibus, alijſque rebus, quæ eo condiuntur arcetur ſtructuræ diſcompaginatio, & per eam inuadens corruptio, id paritèr in ſenili corpore, ſi eius ſucco glutinoſo, & cereo frequentèr imbuatur, habebitur, prout vitam diù ſalubriter conſeruatam vſu mellis pluribi legimus, & ex Plinij (*l*) relatione iam benè ſcitis Pollionem Romulum vegetam in ætate centum annorum ſalutem, intus melle, foris oleo munitam ſibimet comparaſſe.

Cœterùm (omiſſis ijs, quæ abundè collecta reperiuntur apud Aurelium Anſelmum in ſua Gerocomica, apud Claudium Deodatum in eo Opere, quod prò vita ad centum viginti annos ſalubriter proroganda conſcripſit, & apud Ranchinum, (*m*) alioſque quamplurimos) inter ea, quæ quoad victum, ſenilium corporum ſtructuræ analoga ſunt, & proficua, Cocolatis vſus vltimum locum non obtinet. Maior talis compoſitionis pars eſt medulla ſeminis illius, quod *Cacao* vocant Indigenæ: vnctuoſa ſummoperè illa

(k) Galen. ibid. (l) Plin. lib. 22. cap. 24. (m) Ranchin. de morb. ſenil. curand. Ranzon. de conſer. valetud.

eſt ac pinguis, glutinoſa tamen, & emplaſtica pinguedine, non relaxante: ſic fiſſuras partium externarum, & ambuſtionum lacerationes illa ſanat, & hęmorrhoidum doloribus ad miraculum prodeſt; per præcedentem inſuper ſeminis illius torrefactionem abſumitur in eo, ſi quid impurum, & excrementoſum extiterat. Poterit igitur ſquallida ſenum corpora ſubſtantificè reſarcire, nec aromata, quæ illi moderatè miſcentur, immodicè calorem augere poterunt, prout vulgus perperam credidit, quin potiùs languentia ſenilium viſcerum fermenta excitabunt.

Quæ ſanè fermenta, cum modica ſint, & ſemiſopita, nil mirum, ſi vel Hippocratis (n) teſtimonio, reddantur ſenes alimenti quamuis indigentiores, idem nihilominùs non validè appetentes, ac proindè facillimè ieiunium ferre dicantur, quæ quidem inediæ tolerantia, in primo, & vegeto ſenio non tam appetentiæ defectum ſupponit, quàm corporis reſiſtentiam, tunc etenim fermenta, licet debilia ſint, aliquam tamen ſeruant actiuitatem ad appetendos cibos, eoſque diſſoluendos, & ex alia parte corpus in ſua textura non valdè laxatum, & eneruatum, abſque frequenti reſtauratione perdurare adhuc poteſt. In vlteriori tamen ſenio ex proſtratis penitùs fermentis dependet, quæ ferè nihil vellicando, aut actuando, alimenti priuationem facilè ſubſtinent, cum interim corpus ſummè fatiſcens, ex alimoniæ defectu vlteriùs, & irreparabiliter diſſoluatur.

Sed

(n) *Hipp. 1. aphor. 13.*

Sed ſi famem tolerare poſſunt ſenes, numquid tolerabunt & ſitim? Illi potionibus, & mæro non parum ſunt dediti, adeò vt faciliùs etiam quàm iuuenes inebrientur, nec iuſtè rimoſis, & arida rugoſitate contractis eorum corporibus debitam humectationem negabimus, quæ partes humectando, eas æqualitati, & priſtinæ vnioni reſtituat, prout diuulſas terræ glebas aquarum irroratio reaptat: Hinc repetitè moderatus, non vnica vice largus eorum ſit potûs, & licet pro illis idoneum cenſeatur melicratum, ſeù hydromel vinoſum, præcipuè tamen non eis vinum interdicatur, quod fumoſum, & craſſum non ſit, ſed mixtam cum iucunda dulcedine habeat energiam, partium tenuitate potiſſimum ſociatam. Tale ſiquidem vinum ſuis aculeis ſpiritus excitabit, exaltabit fermenta, ſuoque dulcore, exhauſtis in particulis ſuccum amicabiliorem, firmioremque relinquet, eaſque etiam alio titulo reſtaurabit, atque renutriet; cum enim inter diductas ſenilium corporũ particulas cauernulæ quædam remaneant, & dum aſperum, rigidum, & durum ſit eorum corpus, particulæ iſtæ ſuper has cauernulas concidant, ac inter ſe addenſatæ, à circumuicinis aliqualiter ſeparentur, vinum, cuius ſubſtantia ad eas facilè penetrat, eiſque non ſolùm imbibitur, ſed ſecum fert cæterorum alimentorum portiones, dum abſorbetur à partibus, vtili, firma, abundaque refectione loca inania replet, & ſic corpori compaginationem quamdam quantùm po-

teſt, reſtituit, prò arcenda, aut benè toleranda ſenectute neceſſariam.

In cæteris quæ ad viuendi regimen attinent, eæ omnes occaſiones à ſenibus ſunt fugiendæ, quæ poſſunt fatiſcentem corporis compagem, concutere, diducere, relaxare. Abdicatis igitur exercitijs, & violentis motionibus, (quibus inhiant auidè ſenes, ſed eorum impotentia reſiſtit) aerem ſpirent temperatum, qui non craſſitudine ſua lenteſcentes in eorum ſuccis motus inducat, nec rigiditate, aut violentia improportionatos in ijſdem internos impetus excitet, à quibus corpori labor adueniat: hos ſiquidem internos labores, & motus, ſenibus, primo de Diæta, vetat Hippocrates, (o) eoſque in externis corporis partibus adhibet, lenibus nempè frictionibus, & ambulationibus adhibitis, quibus corpus exerceatur tantummodò, ac vtiliter, & moderatè tranſpirabile perſeueret.

Veneris conſequenter paleſtram ſenes nec à limine quidem ſalutent, illuc inutiliter ingreſſuri, illinc egreſſuri, deplorabili nimis iactura, ac ſenſibili dedecore facti ſeniores. (p)

Turpe ſenex miles; turpe ſenilis amor.

Intrà domeſticos potiùs parietes animò continenter recreato, corporeque laudabiliter ſic refecto, ſomno conuenienter indulgentes. (q)

placidæ dent membra quieti
Namque hæc iuſta ſeni

Inter

(o) Hipp. 1. de diæta n. 27. (p) Ouid. 3. amorum eleg. 9. (q) Virg. 5. Aeneid.

Inter hæc vtilia corporis otia ſenum pariter animus, alioquin importunus, acquieſcet, nec ſibi met, alijſque moleſtus, & grauis, iraſcetur, lamentabitur, ſollicitus erit, & anxius, vitæque anteactæ memoriam, ſtatumque viuendi præſentem ille oderit. Mens nempè iucunda, aliqua in occupatione, diſtracta, corporis detrimenta non aſſiduè, & reflexè percipiet, & ità internacum alacritate, in ſenis etiam corpore materialis viuendi œconomia proſperè dirigetur; ſint itaque

Vita ſenis libri, domus, hortus, lectus, amicus,
Vina, nepos, ignis, mens hilaris, pietas.

Minùs pariter morbis reddentur obnoxij, qui in ſenectute ſic viuent, eiſque benè aptari poterit aphoriſticum dogma, (r) *Senes iuuenibus ægrotant minùs*. Quod ſi ijs, non habitualiter, & ſordidè, ſed ex adueniente cauſa, prout fieri ſolet, corripiantur, illis magna remedia Medicus non negabit. Sanguinem robuſto ſeni, conſilio Celſi (ſ) innixus, alacriter mittat, aluum lenientibus medicamentis, ſed non violentis ſollicitet, appoſita namque viuendi regula præmunitum ſenilecorpus, ac in ſolida ſtructura ſeruatum, iuuenilibus in toleranda purgatione non inuidebit.

Et hic breuiſſimè reſpondebimus inquirentibus vtrum ſenibus cauteria conueniant. Manutenendos ſcilicet eos eſſe in eorum poſſeſſione, ſi antecedenter aliqua de cauſa illis fuerint inſigniti; non eſt enim conueniens conſuetam diù euacuationem, qualiſcumque

illa

(r) *Hipp. 2. aphor. 39.* (ſ) *Celſ. lib. 2. cap. 10.*

illa ſit,in ætate per ſe morboſiore ſupprimere: cæterùm hallucinantur quamplurimum, qui catarrhos, & excrementa ſenilia per hæc emiſſaria protrudere foras intendunt, cum potiùs per ea fiant nouæ in corporibus relaxatis ſciſſuræ, & alibilis ſucci partibus apponendis portio ab illis abſorbeatur.

Hæc quamtumuis adamuſſim obſeruauerit ſenex, fęliciterque robuſtus, & incolumis, vitam ad menſuram deſiderij protraxerit, pœnam tamen, diù viuentibus datam tandem habebit, decrepitam ſcilicet, mortiſque prodomam ſenectutem. Non etenim eò direximus ſuperiora præcepta, vel vt in iuuentutem retrogradam ſenectutem faceremus, aut ſenibus vltrà aſſignatos humanæ caducitati limites immortalitatem daremus; irriſio quippè nobis conueniret, illi conſimilis, quàm Medico cuidam,vana hæc temerariè pollicitanti, tributam apud Galenum (t) in libro de Marcore notauimus. Ineuitabili igitur gradu à meliori ſenecta ad peiorem deſcendimus, tunc

cum voce trementia membra
Et iam leue caput

tunc.

minimus gelido iam corpore ſanguis
Febre calet ſola, circumſilit agmine facto
Morborum omne genus &c.

Verùm deplorabiles hæ vltimæ ſenectutis miſeriæ, quas, ne horribiliùs ſonarent, Iuuenalis (u) metro delinitas

(t) *Galen. de Marcore cap.* 2. (u) *Iuuenal. ſatyr.* 10.

nitas vobis expoſui, poteruntnè aliquod à Medicina leuamen accipere? Pleraſque ſpecioſas quidem, & ſummoperè decantatas compoſitiones retulerunt præ cæteris Ranzouius, Deodatus, Ranchinus: (*x*) illis vtatur in hoc caſu, quicumque voluerit, illis tamen non fidat.

Corporum iuniorum vicinia ſenioribus, & decrepitis proficua, vel ipſo Dauidis Regis (*y*) exemplo, proponitur, ſed præter materialem, & actualem ſubſtantiæ calidioris contactum, neſcio quid vlteriùs communicare talibus corporibus poſſit, quàm id, quod communicat actu calens, & mollis quælibet alia ſubſtantia, veluti puluinar, aut linteamen concalefactum; effluuia namque viuida, & ſpirituoſa, quæ à iuuenum corporibus egrediuntur, vappida ſtatim fient, cum à langueſcenti, ac impotenti corpore vltrò non excipiantur, cumque ob eiuſdem corrugatum ambitum, ac euerſam ſtructuram, nec facilè, nec proportionatè illi poſſint incuneari. Deterrima è conuerſò potiùs à corpore ſenis, quæ labuntur contagia, iuuenis inſpirando, & liberè tranſpirando abſorbebit. Analoga huic remedio eſſet ſanguinis illa Transfuſio, (*z*) quam nunc obſoletam, ſuaque ſub inſulſa temeritate meritò ſepultam, calcamus. Ambo igitur hæc præſidia, inutilia, noxia, inconuenientia, obliuioni damnantur.

Quieſce-

(*x*) *Ranzou. Deodat. Ranchin. loco ſuprà cit.* (*y*) *3. lib. Regum cap. 1.* (*z*) *In Confuſione Transfuſionis.*

Quieſcere tunc temporis opus eſt ſeni, nec affatim alimenta ſumere, nec corpori motu nimio violentiam inducere, ſic exiguum vitæ lumen diutius ab extinſione ſeruabitur, & ferè diſciſſum viuendi ſtamen penitùs non lacerabitur: Quod ſi his decrepitus ſenex noluerit acquieſcere, ad illum prò vltimo remedio Medicus imperitus, inquietus, & audax accedat; illi medicamenta quantum voluerit præſcribat, ſicque adulatoriè, & medicinaliter illum necando, ſenem à morborum iliade, adſtantes à ſenis moleſto conſortio, citò, & facillimè liberabit.

V
DE PVRIS MATERIA,
& generationis modo.
DISSERTATIO.

MATERIA ſanè vilis, & ſordida noſtræ diſſertationis eſt argumentum, eamque viliorem adhuc faciet Oratoris inſcitia. Nauſeabitur ipſam inſulſus, & delicatulus ille, cui ſordet, quicquid mollitiem non ſapit, & ſolùm benè ſapit inter deſidiæ oblectamenta marceſcere, ſed & illam vir eruditus non reſpuet, cui graue non eſt in ipſo etiam cęno perquirere margaritas, eaque ſolùm arridet, quæ parta eſt ingenioſo mentis labore voluptas. Audito puris nomine ſtomachabitur profectò quicumque molliorem corporis, quàm ingenij temperaturam ſortitus, rei fœtidæ, & iniucundæ ipſam quoque memoriam aduerſatur, & horret. Iterabit in Medicinam conuicia, quæ paſſim in illam iactat vulgus inane, trucem, barbaram, horridam, illam dicendo, dùm anatomico cultro corporis humani partes minutim ſcindit, & ſedulò contemplatur: im-

portunam, rigidam, inſuauem, dùm ingrata guſtui præſcribit pharmaca, dùm chirurgicis operationibus corpus excruciat, dùm auſteris diętæ legibus liberaliora illi denegat alimenta; infauſtam, turpem, ſpurciſſimam, dùm aut inter graueolentes ægrotantium lectulos commoratur, aut ſemper quęrelas audit, morbos inquirit, & alienas victitat inter ærumnas, aut fęces, vrinas, vomitus purulentias, & omne genus abominationis aſſiduè conſpicit, attentiùs obſeruat, & penè dixerim, habet inter delicias. Sed hæc vana dicteria nobilis Medicina non curat, quæ, rigida dùm apparet, ſolùm caſtigat, vt ſanet; quæ Medicos ſuos verſari facit inter labores, inter mæſtitias, vt heroicæ virtutis exemplo alienis commodis, & ſaluti ſua cedant commoda, & voluptates; quæ materias excrementoſas, quas perſcrutatur phyloſophico redigens ſub examine, & ad vſum ſalutis adaptans, depurat, eaſque nobiles non accipit illa, ſed facit. Sileant igitur, qui Medicinam proſequi dedignantur, abeant, qui puris nomen ſubſtinere non valent; hos à ſui conſortio Medicina repellit, nec in numero eruditorum illa deſcribit. Vos vos alloquor robuſtiori mente præditos Athletas Sapientiæ; audite de Pure quid ſentiam, & quæ vobis non arriſerint ſubſtinete viriliter; etenim ſi non dolores, & febres, quæ puris generationem concomitantur, experiemini proculdubio prouenientes à purulento diſcurſu labores, & tędia. *(a)*

Scatu-

Hipp. 2. aphor. 47.

Scaturigine multiformi è corpore pus emanare conſpicimus, vel enim à vulnerum labijs extillat, vel ab vlcerum cauernis egreditur, vel à diſruptis abſceſſibus effluit, vel à minoribus puſtulis, & ſcabie reſudat, vel cum vrina mingitur, vel expuitur à tabidis, aut intrà thoracem collectum redundat. Quod perenniter è fonticulis manat congeneum eſt puri: quod paſſim, vel per nares emungitur, vel excreatu, & tuſſi reijcitur, extraneis imbutum coloribus, pus redolere videtur; quod ſanguini è vena miſſo in corporibus cacochymis multoties ſupernatat, pus imitatur, ac repræſentat; quinimò, & ipſummet genitale ſemen, colore, ſubſtantia, graucolentia affinitatem cum pure non leuem oſtendit, putrida ſic comprobans corporis noſtri primordia, marcidas ſic oſtendens, quas ſomniamur in nectare venereo delicias.

Non tamen hæc omnia ſunt verum pus, ſed tantùm analoga puri, imò aliqua ex ijs plurimum ab illo diſtantia; ſemen quippè, tantùm abeſt, vt ob ſubſtantiæ craſſitiem, coloremque ſubalbicantem poſſit eſſe puri conſimile, vt potiùs ex hoc illius arguatur præſtantia, pinguis, & oleaginoſa enim cum ſit eius materia à ſubtiliori ſanguinis arterioſi parte, teſtium opificio ſecreta, ingentique turgeat ſpirituum copia, ab ijſdem ſpumeſcit, agitatur, & quatitur, redditur proindè poſt hæc albidior, & craſſior, eo pacto, quo ex ſubtilioribus, & pinguioribus lactis partibus, taliter motis, elaboratur butyrum, ſicque addenſata, & craſſeſcens, ſpiritibus

plaſticis intrà ſe continendis fit aptior, odoremque grauem, quem ſpirat, non ab vlla putredine, aut ſubſtantiæ corruptione adipiſcitur, ſed à particulis oleaginoſis, ac pinguibus confricatis, ac calefactis, quemadmodum cætera pinguia ſi concalefiant, ſi ranceſcant. Quod ſi deteriorem præſeferat conditionem, qualem induit in gonorrhœis, non indè tamen vllo modo ad purulentiam accedit, ſed hetereogeneis, & corruptis humoribus immiſcetur, à quibus vitioſum, & impurum fit, non purulentum.

Cruſta variegata, & craſſior, quæ ſuperinſidet ſanguini, è vena miſſo, pus non eſt, nec putridum quidpiam, ſed eſt mucoſitas quædam, aut potiùs confluxus crudorum, & heterogeneorum ſuccorum, fermentabilium tamen, qui poſſunt in ſanguinem vlteriori elaboratione mutari, & cum reliquis maſſæ ſanguineæ portionibus circulant, ac prout diuerſum gradum fermentationis acceperunt, diuerſos etiam colores, & diuerſam ſubſtantiæ conſiſtentiam præſeferunt. Hi, cum extrauaſati, & refrigerati ſanguinis reliquæ partes coaleſcunt, coagulantur & ipſi, nullo tamen ſuppurationis interuentu, etenim hoc fit extrà corpus; nec pariter ſanioſa ſunt ea, quæ in ſanguine è talo intrà aquam effuſo, adſtantibus mulierculis vulgari, & inutili ceremonia aquam bacillo agitantes Medici oſtentatores exagerant; nil aliud quippè ſunt, quàm ſanguinis ipſius fibrę, quibus agglomeratæ ſunt ſupradictæ materiæ, eò patentiores, quia priùs fuerũt ab ipſamet aquà calente decoctę.

Sputa

Sputa craſſiora ſubuiridia flauentia ad modum grandinis addenſata, imò, & aquæ fundum petentia, quæ expuuntur à tabidis, aut paſſim excreantur ab ijs, in quibus matureſcit catarrhalis fluxio, pus ſæpè mentiuntur, licèt non ſint, quandoquidem febris præceſſit, aut comitatur, & in plurimis conditionibus à pure non diſſident; deſunt tamen illis quàmplurimæ, inter quas lentor ille, qui puris eſt proprius, ab huius materiæ viſciditate diuerſus, quæ, quò magis coquitur, & exiccatur, eò euadit tenacior, cum pus excoctum, aut diſſoluatur, aut aſſetur potiùs, quàm ſibi plùs tenacitatis adiungat. Hac ratione materias has craſſas à pure Galenus *(b)* quoque diſtinxerat, craſſitiem viſcidam pituitæ, lentorem, & graueolentiam aſſignans puri; hac ratione ambo ſi proijciantur in aquam, diuerſitatem inter ſe manifeſtant, pus namque diſſoluitur, pituita in craſſitie perſiſtit. Confunditur quidem ſæpè cum ipſo pure in tabidis hæc materia, & abſque vllo pulmonum vlcere tabem fouet intrà racemoſas pulmònum veſiculas repoſita, ibique ſtagnando putreſcens, non indè tamen fit pus, ſed reddit flacceſcentes, & marcidos pulmones, non ſanioſos.

Magis accedere videntur ad pus materiæ illæ, quæ vel colliguntur intrà ſcabioſas puſtulas, vel è fonticulis, aut veſicantibus apertis emanant, quatenùs à facta continui ſolutione dependent, & quoquo modo egrediuntur ab vlcere, ſed non ſemper de eo participant, ſed

(b) Galen. 1. de aliment. facult. cap. 2.

ſed non perfectè, ſed non ſecundùm omnes ſui partes, cum potiùs ſint fluida ichoroſa, violenter extracta, à particulis cauſticis irritata, & purulentæ mutationis incapacia, vel ſint recrementa inutilia vaſorum, foras protruſa, illicò è corpore eliminanda, nec ad vllam veram corporis vtilitatem in pus commutanda.

Excluſis iam à puris commercio rebus his, ipſum ſimulantibus, quale ſit verum pus modò inquiramus. Reperitur illud potiſſimum in vlceribus, & circà vulnera, ac vbicumque adeſt violenter quoquo modo facta in viſceribus, ſeù partibus carnoſis continui ſolutio, qua ratione intrà tumores etiam colligitur, & ſub laceratis per contuſionem carnibus latitat. Nec totum id, quod indè manat, verum pus eſt, ſed ſimul illi vniuntur ſordes quamplurimæ, mucoſitates, putreſcentes lymphæ, & alia id genus inquinamenta, quæ in partibus affectis, data occaſione, remorantur, aut ibi circumpoſita, & inter circulandum ſecreta, à propria conditione, conſequenter deſciſcunt, non tamen poſſunt in pus ea commutari, quia nec lentorem puris proprium coctione vlla, aut alio quouis modo poſſunt acquirere, nec ſunt alimentares ſucci, à quibus propriè fit pus; vndè in abſceſſibus, alijſque tumoribus, meliceride, nempè ſteatomate &c. id quod intrà folliculum continetur, concoqui, diſponi, maturari poteſt, non ſuppurari; id autem, quod à circumſtantium muſculorum, & à cutis vnitate ſoluta per tumoris ruptionem prouenit, eſt vera puris materia.

Cum

Cum ergo ad puris generationem neceſſariò requirantur ſoluta continuitas carnium, & ſuccus alimentitius, & vtilis, remanet adhuc inueſtigandum, qualis verè ſit iſte ſuccus, quomodò vertatur in pus. Controuerſum quippè fuit inter Authores an ille ſit ſolus ſanguis, an aliquis ſuccus diuerſus à ſanguine. Galenus pluribus in locis, & ſpeciatim *Comment.* 1. *in Hippocratis Prognoſtica*, & 4. *Method. cap.* 5: aſſeruit à ſanguine fieri, illumque ſequitur antiquior, & communior Medicorum ſententia. Alij ſuccos diuerſos à ſanguine prò puris cauſa aſſignarunt, craſſos, alterationi reſiſtentes, & ex alborum genere, qui vtpotè tales, magis ſunt puri conformes, & magis quàm ſanguis ſunt purulentiæ propinqui, ij ſunt iuxtà neotericos chylus, ſanguinis latex, lympha, & ſuccus nerueus.

Maior tamen eſt inter illos diſparitas in aſſignando modo, quo in ſanguine, aut reliquis ſuccis ipſamet purulentia introducatur. Siquidem primò nobis occurrit Galenus (c) loco ſupracitato hæc aſſerens: *Sanguis ad exiguas diſperſus partes in locis, inflammatione affectis, vtpotè extrà propria conceptacula poſitus, nec inſuper remeare ad antiquam naturam valens, mutatur, ac putreſcit; ſi igitur calor natiuus plurimùm de ſua exorbitat intemperie, putreſcit ſanguis, ſi verò vim ſeruat quamdam, permixta quædam commutatio de cauſa præter naturam efficitur, & ſic cauſa naturalis concoquit, præter naturalis putrefacit*. En quomodò Galenus, circulationis non ignarus, ſanguinem ex

(c) *Galen.* 1. *in Hipp. prognoſ. cap.* 42.

ex vaſis effuſum intrà carnium ſpatiola, nec circulare, & *ad antiquam naturam remeare* (vt ipſe loquitur) valentem, actione quadam, mixta ex coctione, & putrediné vi natiui caloris, in pus mutari decernit.

Alibi diuerſo modo pus fieri, dixerat idem Galenus (*d*) ſcilicet per validam, & intenſam actionem caloris in materiam, euaporata parte ſubtiliori, & vaporoſa, remanente, & veluti incinerata parte craſſiori. E contrà alibi etiam, non ab interno, ſed à coadunato tantùm calore, eoque benigno, ac naturæ analogo fieri ſuppurationem ſtatuerat, vndè excluſis emollientibus, quæ calorem poſſunt augere, in medicamentis ſuppurantibus conditionem emplaſticam requirit, qua mediante calorem vniant, non acuant, ſic à manu, diù tumori applicita, eumdem ſuppurari dixit, ſic cum Hippocrate (*e*) à carne contuſa pus fieri cenſuit, à cuius contactu blandus tantummodò calor, & humiditate contemperatus inducitur. Tandem ex eodem pariter Hippocrate (*f*) refert in vlceribus fieri pus per meram carnium putrefactionem, & liquefactionem.

Inter recentiores alij dixerunt purulentiam induci in ſuccis per inſpiſſationem materiæ extrauaſatæ, eiuſque lenteſcentiam, ac prohibitum aeris acceſſum ad illa ſpatiola, vbi adeſt extrauaſatus ſuccus, aut ſaltem ob denegatam ibi ſpirituum irradiationem, à quibus poſſet talis agglutinatio perperàm facta impediri, ſic Vvepſe- [illegible] rus.

(*d*) *Gal. 3. de præſag. ex pulſib. cap. 7. Idem 5. de ſimpl. medic. facul. cap. 8. & 9.* (*e*) *Hipp. de capit. vulner. 2. de vlcerib. n. 3.* (*f*) *Gal. 4. meth. cap. 5.*

rus. (g) Alij illam fieri particulis ſanguinis ſalinis, & acidis acrioribus redditis, & feruefcentibus, & ſic feruorem augentibus in particulis oleaginoſis ipſius ſanguinis, vndè corruptus fit, & purulentus, ità Syluius. (h) Alij non per ſolam coctionem pus fieri dixerunt, ſed per acidi mixtionem, quemadmodùm aqua, in qua cocta fuerint ramenta cornu Cerui, admixto acido, in gelatinam mutatur, ſic Dauid Porzius (i). Alij ad fermentationem opus hoc reduxerunt, ac multotiès ipſummet pus prò alia materia ſuppuranda inſeruire voluerunt, cum id, quod à putrido tangitur, putridum fiat.

Nos cuinam ex his opinionibus adhęrebimus? Nulli. Quid ergò de puris materia, & generatione ſentiemus? Fas erit, prætermiſſis reliquarum opinionum confutationibus, ſed ex ijſdem delibando quidquid ad rei dilucidationem inſeruiet, aliam ſpeculari fortaſſe vero propinquiorem, & rationi magis accommodatam.

Sed priùs breuiter quidem, neceſſariò tamen digredi opus erit, & aliqua de alimenti appoſitione, carniumque elaboratione proferre. Sanguis per arterias ad partes nutriendas perueniens, vt in earum ſubſtantiam mutetur, è vaſis egreditur, eiſque apponitur, non quidem imaginarias illas mutationes expertus, quas ſub nomine ſecundariorum humorum olim audiuimus; illicò igitur, ac è vaſis égreditur talis, qualis erat priùs intrà vaſa ſecundùm alimentitias ſui partes

(g) *Vvepſer.* (h) *Laboè prax. med. lib. 1. cap. 40. n. 14.* (i) *Dauid Porzius de tumor.*

in parte nutrienda deponitur, eodemque tempore ab alia vaſorum claſſe, neruorum ſcilicet fibrillis in eamdem partem ſuccus nutritius effunditur, à cuius ſocietate, & ſuperalluuione ſanguis, qui aliàs præterflueret, totumque ſe ſe in venas reponeret, conſiſtentiam acquirit, & perfectam cum eo mixtionem faciens, fit caro; etenim hoc probè oſtendunt ipſiuſmet carnis ſubſtantia, & color ęquè referentes proportionatam ſucci rubri, & albi miſcelam, ſanguiniſque fluorem à ſucci neruei iuſta conſiſtentia compreſſum. Quando autem ritè non fit hæc commixtio, aut conſumpto à ſanguinis excandeſcentibus portionibus ſucco nutritio, eius recuſatur vnio, caro non fit, vt in hecticis: quando ſuccus iſte, aut copia nimis abundat, aut nimiùm eſt dilutus, nimis diluitur ſanguis, vndè caro vera non fit; ſed quid œdematoſum, & aqueum eius loco concreſcit, vt in hydrope, & cachexia: quando alio quopiam modo vitiatur amborum ſuccorùm vnio, vitiatur pariter carnis renutriendæ, & apponendæ proportio.

Adnotare pariter erit opus ea, quæ in tumorum accretione contingunt, ſcilicet adiungi multotiès ſuccis coagulum quoddam, ab aciditate potiſſimum proueniens, quo mediantē illi concreſcunt, atque grumeſcunt, & eò magìs inæqualiter, ſi improportionatò motu è vaſis exeuntes in glandulis cutis, ac in ſubiectæ carnis partibus æqualiter, & ordinatè diſponi non valeant.

His igitur præſuppoſitis, quandò in vulneribus, aut

vlce-

vlceribus diſſoluta eſt partium continuitas, mutatur pariter vaſorum per eaſdem diſſeminatorum cum proportione figura: hinc ex oſtiolis eorum, vel nimium hiantibus, vel corrugatis, vel mutata diametro differentibus redditis, nec ſanguis, nec ſuccus nutritius æquali menſura, gradu, & ordine effunduntur in partes, nec debita proportione id, quod ſuperfluum eſt, reaſſumitur; conſequenter non fit proba vtriuſque miſcela, nec in veram carnis ſubſtantiam vterque mutatur, quinimò ſic extrauaſatus nerueus ſuccus aceſcit; grumeſcit conſequenter vterque, indèque reſultat mixta quædam materia, quæ non eſt caro, ſed deprauatum carnis rudimentum, non eſt ſanguis, neque ſuccus nerueus, ſed vtriuſque vitioſa complicatio, ſeù potiùs aggregatum quoddam minimorum grumulorum, ex vtroque conſtantium, & hoc propriè dicitur verum pus, quod antequàm in particulis grumeſceret, & priuſquàm aciditas in ſucco augeretur, dùm adhuc in via erat ad pus, erat ſolummodò purulenta materia, ſeù pus in fieri, ac poſtquàm per vlteriorem moram redditur incapax ad hoc, vt, diſſolutis grumulis, & correcta vitioſa compage, meliori formæ ſeſe reſtituat, tranſit in ſaniem, quæ non eſt ampliùs deprauatæ carnis rudimentum, ſed talis materiæ corruptio, alienis excrementis ſæpè commixta, & proindè tunc fœtet, cum alioquin in vero pure fœtor non adſit.

Hæc, quæ nunc diximus recentiorum placitis accomodantur, ſunt conſentanea rationi, nec multum à

Galeno diſtant, ſed extrauaſatum ſanguinem ad antiquam naturam (vt ille aiebat) remeare non valentem admittunt, & modum particularem, quo is ſuppuratur, nec coctioni, nec putredini ſimilem apertè declarant. Inſuper, & Hippocratis (*k*) oraculis conformantur, etenim ea, quæ in libro de Alimento ęnigmaticè is protulit, benè poſſunt iuxtà noſtram hypotheſim interpretari. *Purulentum*, (inquit ille) *ex ſanguine, ac ex alio humore, pus ex carne*; ſcilicet rudimentum puris, ſi materia, quæ in fieri eſt ad pus, ſanguis eſt, ac alius humor, nerueus nempè ſuccus, quem Hippocrates non explicauit, puris autem ipſiuſmet compaginatio eſt ex carne, hoc eſt ex carnis materia, ſeù ſanguine, & ſucco ſimul coagulatis, & ſic ad carnem magis accedentibus, & carnem quodammodò æmulantibus, ſed nihilominùs in pus degenerantibus. *Pus*, conſequenter dictum fuit ab eo, (*l*) *alimentum venæ, & arteriæ*, non quod pure alantur hæc vaſa, nam hoc eſt planè abſurdum, ſed quatenùs pus fit ex materia alimentari per hæc vaſa deferri ſolita, & ſic non tam eſt alimentum ipſius venæ, & arteriæ, quàm alimentum in venis, & arterijs contineri ſolitum, deindè mutatum in pus. Dicitur inſuper ab ipſo (*m*) *Pus vlceris alimentum*; quemadmodùm enim pars non vlcerata ab ipſis ſuccis, ritè elaboratis, & vnitis alimentum accipit per carnis appoſitionem, ſic pars vlcerata, à pure ex malè commixtis his ſuccis reſultante nutritur, ſi non per veræ carnis appo-

(*k*) *Hipp. de alimento num.* 12. (*l*) *Ibidem.* (*m*) *Ibid.*

appoſitionem, tunc enim impleretur, & vlcus ampliùs non eſſet; in vlcerationis tamen ſtatu permanens, per huius pſeudo carnis, ac purulentæ miſcelæ alluuionem, à qua aliquam portionem alimenti, ac ſpirituum, quibus illa non caret, ſibi adſciſcit, & ſic à corruptionis periculo præſeruatur.

Tandem nec noſtræ aſſertioni repugnat id, quod in Aphoriſmis ex eodem Hippocrate (*n*) habetur, quod *Sanguinē, qui in ventrem præter naturam effluxit neceſſe eſt ſuppurari*; ſi enim hoc intelligi debeat de ſanguine, in aliquam cauitatem corporis extrauaſato, prout poſt largas ſanguinis effuſiones colligitur in thorace, aut alibi, tunc non verè ſuppuratur, ſed grumeſcit, ac putreſcit ſanguis, & ſic ſuppurari tunc lato modo ſumitur prò quauis conſimili mutatione, non prò vera ſuppuratione; quod ſi de vera ſuppuratione ibi loquentem velimus Hippocratem, de præternaturali etiam ſanguinis in muſculos effuſione, qui ventres alibi etiam ab Hippocrate (*o*) vocantur, eumdem tunc loqui neceſſariò dicemus, in quibus modo, à nobis explicato, pus conficitur, cum ſanguis, in alios ventres extrauaſatus, puris conditionem non habeat, ſed putreſcentiæ.

Erit nunc prò coronide declarandum, quomodò in puris elaboratione fiant dolores, & febres, quomodò, dùm ſuppurantur tumores, excitetur in eis pulſatio, quomodò pus, cum perfectionem acquirit, fiat album: Sciendum igitur ſanguinem, & ſuccum nerueum violenter

(*n*) *Hipp. 6. aphor. 20.* (*o*) *Hipp. de arte num. 17.*

lenter ſic inter ſe complicatos, grumefactos, & extrà ſua loca poſitos, licèt partibus aſſimilari non poſſint, otioſos ibi non remanere, ſed totis conatibus (ſi datum ſit) in partis alimoniam tendere, & ad conuenientem propriarum particularum collocationem inhiare; contendunt illi proindè, vt vitioſam compagem ſoluant, ac conſequenter inuicem ſubſiliunt, & fermentantur, & eò magis, ſi id contingat in particulis carneis, per diſtenſionem diſcontinuatis, aut diſruptis, ſed intrà tumoris alicuius; aut abſceſſus ſepimenta detentis; tunc enim magis intenditur caloris, & ſpirituum acceſſus, diſcontinuatio pureſcentium particularum fit maior, præſertim, ſi accedat ſuppurantis medicamenti applicatio, & ex iſtis motionibus nil mirum ſi calor febrilis accendatur, qui magis adhuc accenditur, ſi aliæ materiæ extraneæ, intrà tumorem concluſæ, & incapaces ad ſuppurationem, ſuas quoque patiantur fermentationes, & nouas in propria ſubſtantia diſpoſitiones, tunc enim maiori vi fermenteſcentes particulæ exploduntur, atque diſſiliunt, ac facilè ob ſuam acutiem intrà venas ſe inſinuando, ſanguini motum celeriorem inducunt, cordis fibras in frequentiores ſpaſmos ſtimulant, atque vrgent; vndè fit maior febris accenſio, ſimulque emergit à ſanguinis tumultuario motu pulſatio.

Febris igitur, & eadem ratione in parte dolor adſunt, non quando pus in ea ſitum conficitur, ſed potiùs quando factum diſſoluitur, & partes ſuccorum di-

uerſæ ab inuicem ſeparantur, aut facta denuò proba eorumdem ſuccorum vnione, vndè caro bona regeneratur, vel ſpoliato à ſanguinis miſcela ſucco nerueo, vndè eius albedo fit manifeſtior, quod equidem fit, non quia pus in eam ſubſtantiam, & colorem fuerit commutatum, ſed eò quia, ſecretâ ſanguinis miſcelà, fit manifeſtior ſucci neruei conditio.

Alia, quæ poſſent circà pus inueſtigari, poterunt ex ſupradictis haberi; mihi vlteriùs ſpeculari non datur: ètenim puris conditio, non ob ipſius met puris, aut ob loci craſſitudinem, vt habet Hippocrates, (*p*) ſed ob ingenij craſſitudinem mihi meliùs non innoteſcit.

An

(*p*) *Hipp. 6. aphor. 41.*

VI

An Apoplexia differat à morte ſubita.

PROBLEMA.

QVOTIDIE morimur, mortem, vel inuiti, nouimus, & experimur; quid autem ſit mori, quomodò mors nos inuadat, neſcimus. Non repentè nos in mortem incidere, ſed minutatim procedere apud Senecam (*a*) legimus; repentè extinctos quamplurimos, vtinam ſæpè nobis non videre, aut audire, contingeret; vtinam tamen cauſam, & modum daretur agnoſcere, ſed vel ad inopinatos hos caſus præ terrore mens hæret attonita, intellectus ſyderatus perſcrutari nil valet, vel infelicium horum euentuum ipſam etiam memoriam adeò expaueſcimus, vt ſubitæ mortis vix prolato, aut audito nomine, in eius improperium, ac abominationem expuamus.

Inueſtigandum proindè nobis proponitur, quid ſit ſubita, ac repentina mors, num illa ab apoplexia differat,

rat,

(*a*) *Seneca epiſt.* 24.

rat, an quicumque ſubitò moriuntur, apoplecticæ inuaſionis vi moriantur.

Vitam in caloris innati conſeruatione per humidum radicale conſiſtere, generali, ac lato decreto ſibi olim ſtabiliuit Philoſophantium idea; quomodò autem hoc fiat, indeciſum præ opinionum diuerſitate remanſit; poſt detectum tamen ſanguinis motum, ab eo vitalem œconomiam pendere ſancitum, ità vt ex vi iſtius motionis, id quod corpori alimoniam, & vitam præbet, elaboretur, depuretur, conſeruetur, diſtribuatur; mortem proindè, remorato, vel ceſſante ſanguinis circulo, fieri, Medicorum ſchola communior aſſeruit.

Verùm non ob id innoteſcit, quod ſit id principale, à quo vita in ſuo eſſe ſeruatur; vlteriùs quippè inquirendum, quidnam ſit id, quod motum ſanguini inceſſanter præbet, & ſeruat, à cuius motu poſſit vita ſeruari. Sanguinis motus, vel à cordis motu procedere videtur, vel ab ipſomet ſanguine prouenire: quod à cordis motu procedat, dici abſolutè non poteſt, cum à cordis motu ſanguis, qui ipsũ ingreſſus fuit, explodatur, nõ redux attrahatur; requiritur quippè ipſius met ſanguinis efferueſcentia quædam, (qua certè non caret) vt maiorem ſui motus partem ipſe ex ſemetipſo perficiat; hoc, vel ipſe cordis fautor Lovverus (*b*) concedit, qui cor, non quidem motum, ſed nec maiorem incaleſcentiam, quam reliqua viſcera ſanguini tribuere fatetur. Quod ſi motum ſanguinis à cordis motu proficiſci, quis

(*b*) *Lovver. de Corde cap. 2. pag. 75.*

adhuc contenderet, cum motus cordis à neruis, ac fibris proueniat, ac à ſpiritibus per neruos influentibus; cumque iſti ſpiritus prò ſui generatione motum ſanguinis præcedentem neceſſariò requirant, ſequitur, quod motus cordis non magis ſit cauſa motionis ſanguinis, quàm eiuſdem effectus, vndè mutuam prò vita ſeruanda, cordis, ſanguinem in cerebrum tranſmittentis, & cerebri, ſpiritum in cor influentis, operam ſtatuerunt nonnulli, vt ſcripſit ſupracitatus Lovverus. (*c*)

Mouebitur igitur à ſemetipſo ſanguis, & ſic animal viuet; hanc tamen in ſanguine efferueſcentiam, ſeù motum, ei intrinſecum non eſſe, ipſe etiam Vvilliſius, (*d*) qui eum agnouit, & probauit, fatetur, ſed prò ſui duratione neceſſariò indigere libero, ac indiſcontinuo aeris acceſſu, per quem pabulum nitroſum ei ſuppeditetur, & impulſiuus motus perennetur, quo vitalis flammæ ſplendor cum motione eluceſcat, fiat eiuſdẽ expanſio, ac effluuia vaporoſa, quæ illum ſuffocare valent, expellantur.

Aer igitur inſpiratus, & expiratus, eſt id, quod ſanguini, & cordi motum impartitur, eſt illa motrix intelligentia, quæ intrà corporis humani ſphærã vitalis harmoniæ ſeruat perennitatem, ſed hoc, quod primariò ab aeris appulſu oritur, diſpoſitionem talem vlteriùs in ipſo ſanguine exigit, qua aditum aeri præbeat, & impulſum, à ſemetipſo factum, admittat; debet nempè ſanguis, tùm in ſui ſubſtantia, tùm in ſuis vaſis, ſed

præ-

(*c*) *Lovver. ibid. pag. 90.* (*d*) *Vuilliſ. de ſang. accenſ. pag. 33.*

præſertim maioribus, ac cordi propinquioribus habere tranſpirabilitatem quamdám, & reſpectiuè congruam capacitatem, in qua aer, qui ingreditur, ſe inſinuare facilè poſſit, & prò oportunitate etiam conſeruari, quæ ſanè tranſpirabilitas, ſiuè vaſorum debita apertio, adeò corpori eiuſque optimo ſtatui eſt neceſſaria, vt vel in minimis cutis poris, & exilium vaſorum oſtiolis requiratur.

Cum ergò aer liberè corpus ingreditur, ac cum ſanguinis conſiſtentia, talem ſeruat ſtatum, vt aeris impulſum ſequatur, fit inceſſanter circulus ipſius ſanguinis, & conſequenter boni diſtributio, expulſio noxij, vitales tandem omnes operationes conſiſtunt; ſed cum alterum ex ſupràdictis vitiatur, aut deficere incipit, vita eſt in diſcrimine, donec vnum alterius defectum ſuppleat, aut vtrumque paulatim tandem ſuccumbat; at cum ceſſat vtrumque ſimul, aeris nempè introductio in ſanguinem, & ſanguinis ad aerem excipiendum, & proſequendum diſpoſitio, ſtatim extinguitur motio, & cum motione vita, & hoc eſt ſubitò mori.

Percurrite, ſi libet, ſubitò demortuorum hiſtorias, alios fulminis ictu repente concidiſſe, alios in ipſo ſepulchrorum, cloacarum, aut fodinarum ingreſſu, alios fumo carbonum extinctos; hos omnes illicò morti tradidit ſanguinei motus feſtina ceſſatio, ob impeditam inſpirationem aeris, qui eum poſſet mouere, & hauſtam eius loco ſulphuream narcoſim, inducentem in ſanguinis particulis ſtupidam reſiſtentiam, & denſitatem.

Alios, quos audiuimus de repentè occubuiſſe, omnes vel à vaſe interno diſrupto, vel ab effuſo abſceſſu, vel à polypo, ſeù alia extranea re, vaſis alicuius nobilis orificium prępediente, vel à nimia etiam ſanguinis vtilis copia in vaſis vltrà modum contenta, non alio modo diem ſuum obijſſe comperimus, quàm tùm impedita aeri introducendo via, tùm addenſatis violenter ipſius maſſæ ſanguineæ particulis, ac proindè redditis ad vlteriorem motum concipiendum impotentibus.

Hinc multoties obſeruare contigit, prò mortuis habitos, ſanguinis (e) (f) miſſione facta, reuixiſſe, diſcontinuatis nempè per eam ſanguinis particulis, & introducto ſic aeris in ſanguinis maſſam commercio, & ad eum recipiendum aptitudine, vndè iterum eius motus incępit, & vita, in quibus profectò caſibus omnimodè ſanguinis motus non ceſſauerat, ſi non ab admiſſo nouo aerẽ adiutus, ſaltẽm à præexiſtente intrà corporis ſpatia aliqualiter conſeruatus, adeò vt motus ſaltem aliquis veluti trepidationis, ac fluctuationis ſanguini permitteretur, ſi non ad vitæ functiones vtilis, ſaltem ad ius viuendi mordicùs conſeruandum ſufficiens.

Ex vehementiori animi motu, iræ, gaudij, riſus, notum eſt repentè obijſſe nonnullos, item ẽx violenta, ac rapida euacuatione concidiſſe, ſed in his potiùs ex concitatiore ſanguinis efferueſcentia, & impulſu; potiùs ex nimia, non ſolùm tranſpirabilitate, ſed exitu, vita ceſſauit.

Sed

(e) *Zaccut. prax. med. adm. lib. 1. obſ. 20.* (f) *Pannarol. pentec. 1. obſ. 19.*

Sed aduertat, qui iſta obijcit, mortem non ab ijs motibus violentis, non ab illis euacuationibus factam fuiſſe, ſed potiùs ab eo, quod ſubſecutum fuit tales motus, tales euacuationes, nempè ab impedito ſanguinis motu, ob denegatum aeris mouentis appulſum, ob ſtagnationem in ſanguine, ſpiritibus exhauſto, factam; quapropter ij repentè mortui quidem ſunt, dùm ridebant, dùm mœrebantur, iraſcebantur, euacuabantur, ſed repentè in ijs vita extincta fuit, quia eorum motuum, ſeù euacuationum violentia, & immoderantia, eò vſque peruenit, vt per eam ſanguinis conſiſtentia, euolatis ſpiritibus, vitiata redderetur, & ſic aeris introducendi impotentia ſtabiliretur.

Ex dictis igitur apertè patet, non eſſe idem apoplexiam, ac mortem ſubitam, primò quia, qui corripiuntur apoplexia, non ſemper ſtatim moriuntur, & è conuersò plures moriuntur, in quibus nulla animalium functionum detentio præextiterat, & nulla poſtmodùm in cerebro, & partibus ei congeneis læſio materialis per ſectionem apparuit. Secundò, quia in apoplecticis ſanguinis, & cordis motus ſeruantur, imò pulſus ad tactú eſt plenior, quia licet adſit impedimentum in vaſis, ad ſuperiora ſpectantibus, non tamen adeſt in vaſis circà cor, vndè vitalis ſanguineæ motionis gyrus exorditur; ſic in apoplexia etiam forti, ij, qui videbantur extincti, reuixerunt, quia aeris mouentis energia, ſanguinis ad motum recipiendum capacitas aliqua, quamuis obſcura, ſeruabatur; non ergò eſt apoplexia, quæ

mor-

mortem ſubitam parit, ſed quæ ad mortem valdè, & proximè diſponit: id, quod ſubitò vitam extinguit, eſt ſanguinis ſubitò ceſſans motus, qui à pluribus cauſis abſque apoplexia impeditur, & tollitur.

Verùm quidem eſt, quod, cum ob coagulationem ſanguis fiat ſtagnans, & ceſſet à motu, ac apoplecticum ſymptoma coagulationem humorum, licet partialem, ac ſpirituum fixationem redoleat, intercedit inter apoplexiam, & mortem ſubitam non leuis affinitas, datur facillimè ab vna ad alteràm ſubitus tranſitus, cum eædem cauſæ ſtatuantur, quæ vtramque efficiunt, inter quas Franciſcus Bayle, (*g*) ex Hippocrate (*h*) ſuccum acidum melancholicum potiſſimùm recenſet, qui ſanguinem fixare, apoplexiam inducere, ac ſubitò interimere valet.

Succus ergò melancholicus ſanguinem fixans, morti aditum præbet? Agnoſcite hoc, qui mortem nimium timetis, ac vitam proindè viuitis infęlicem; vos morborum leuiſſimæ vmbræ perterrefaciunt; vos vaniſſima quæque mortis auſpicia conſternant; attendite, qui præ nimio timore vosmetipſos cruciatis, & Medicos; Vita, quæ cum mærore, & ſollicitudine ducitur, mortem de repentè accerſit, non fugat; Audite Senecam (*i*) vos obiurgantem. *Stultitia eſt præ mortis timore mori.*

An, &

(*g*) *Bayle de Apopl. cap. 5.* (*h*) *Hipp. 6. aphor. 56. & 2. de morb. num. 6*
(*i*) *Senec. epiſt. 70.*

VII

An, & per quas vias Aer ingrediatur humana corpora, & an poſſit in fluida ibi mutari.

PROBLEMA.

HOMINVM conditionem, ac mores, qui contemplatur, facilè etiam corporis texturam, & prædominantis in eorum quolibet materiæ exceſſum agnoſcet. Quod animi mores ſequantur corporis temperaturam exacta tractatione Galenus *(a)* expoſuit; ſic ex peculiari partium corporis figura, peculiares mores Phyſiognomi, ac ex diuerſis moribus diuerſorum humorum abundantiam in corpore, ac diuerſas eiuſdem paſſiones Medici viciſſim eliciunt. Cum igitur paſſim nobis ſint obuiam homines, vel ambitione vltrà modum tumentes, vel expanſione ſuperba ſuprà cęteros eleuati, vel mente vaniloqua nil ſolidi meditantes, ſed vel ad leuis cuiuſlibet motionis impetum irrequietè flu-

(a) Galen. lib. quod anim. mores.

tè fluctuantes, vel aereas machinas intrà diaphani nimium capitis ſpatia conſtruentes, profectò quid dubitabimus eorum corpora, aere plurimo imbuta aſſerere, eorum capita plùs aeris, quàm cerebri continere? Erit ergò affirmatiuè reſoluta prior pars huiuſce problematis, in quo quæritur, num intrà corpus humanum aer ingrediatur.

Hæc ſint allegoricè dicta, ſed ne aerei nos quoque videamur, rem ſeria meditatione penſitemus. Quod aër inſpiratus ingrediatur pulmones, vnuſquiſque neceſſariò cóncedit, imò quolibet momento experitur, ſed quod non ſuperficialiter tantùm, & tranſitoriè hoc præſtet, verùm & in penitiora quæque ſe inſinuet, ex eo potiſſimùm colligitur, quod,cum aer vi elaſticà polleat, non cuique obici ſtatim cedit, vndè vlteriùs ſemper expanditur, vaſa etiam ingreditur, & vna cum fluidis ad corporis vniuerſa diſpergitur. Confirmat hoc fiſtuloſa pulmonum ſtructura, in quibus tot inter anfractus, ac veſicularum compages aer procul dubio reperitur, non ſolùm ad hoc, vt ibi aſſeruatus, & præparatus,aeris inſpirati defectum aliquandò ſuppleat,vel eiuſdem denuò aduenientis aſperitatem quandòque contemperet; verùm etiam ad hoc, vt ſanguini, per vaſa pulmonica diſtributo, vſque ad minutiſſima quæque permixtus, eumque vitali quadam energia imbuens, ſimul cum ipſo coniunctim permeet, & quælibet vaſa percurrat. Hos alioſque vtiles aeris inſpirati progreſſus fuſiùs recenſuerunt, ac exactiſſimè obſer-

uarunt

uarunt Truſtonus, (*b*) atque Borellius. (*c*)

Nec ſola inſpiratione aer excipitur intrà corpus, verùm, & in ipſa ciborum ingeſtione intrà naturalia viſcera ducitur, quippè non ſolùm ea, quæ comeduntur, intrà ſuarum particularum ſpatia aerem habent, (adeò vt vel intrà liquores ipſos aer admitti debeat, cum bullas concipere ſint apti,) ſed & intrà eorumdem ciborum partes per maſticationem diſiunctas maior aeris copia immiſcetur: inſuper in ipſa ciborum deglutitione, à muſculis faucium, qui ad impellendos intrà œſophagum cibos conſtringuntur, aer etiam, qui priùs in eo ſpatio continebatur, vnà cum ipſis cibis veluti addenſatus, ad intrà impellitur, ac in ventriculum, & reliqua viſcera deſcendit.

Per vniuerſi corporis ambitum aer quoque intrà corpus admittitur. Infiniti adſunt in cute pori, innumera minutorum vaſorum oſcula terminantur in cute, indè ſicut aſſiduè, non tam ſenſibiliter, quàm inſenſibiliter aliquid à corpore excernitur, ità, & aſſiduè aliquid de nouo introducitur, aer nempè corporis peripheriæ adiacens per eaſdem pororum apertiones adaperta via ingrediens, & quidem facilè, non ſolùm quia in ſe tenuis, ſed quia per ſpiras, quas ſe mouendo efficit, in anguſtum quemlibet locum ſe poteſt immittere, eo namque modo, quo per os poſt expirati aeris egreſſum nouus aer inſpiratur, ſic per ambitum corporis vniuerſi fit aſſiduè expirationis, & inſpirationis al-

N terna-

(*b*) *Truſton. tract. de reſpirat.* (*c*) *Borell. de motu animal. tom. 2. prop. 115.*

ternatio, & quidem neceſſariò; alioquin ſi per poros ſemper hiantes ſola fieret emiſſio, nimium reſolueretur corpus, vel credendum eſſet, poros poſt fuliginum emiſſionem per aliquod tempus in totum claudi; vndè ferè ſemper ſequerentur ea incommoda, quæ manifeſtas pororum occluſiones ſequuntur.

Nec inutiliter aer per cutis poros ingreditur, etenim venas ſubintrans, reduci ſanguini, impulſu alioquin carenti, ſpiritibuſque deſtituto addit calcaria, ad hoc, vt ſurſum regrediatur, quod forſan tanta celeritate præſtare non potuiſſet, abſque adueniente impulſiuo ſubſidio, vndè nec æqua lance potuiſſet circulationis motus librari, nec conſono rythmo educti, & reducti ſanguinis curſus procedere. Prætereo alios vſus aeris intrà corpus aduenientis, à quo per ſpiritus nitroaerei, quo aer abundat, miſcelam ſanguis fermentatur, & in ſuis partibus depuratur, & ſecernitur, vt placuit Maiouio (*d*) à quo iuxtà diuerſas ſui qualitates corpus fit, & leuius, & grauius, & conſequenter ſaluti, & morbis magìs, aut minùs obnoxium iuxtà Sanctoriū.(*e*)

Hinc non erit àbs re Digbęi (*f*) aſſertum admittere, quo ſtatuit aerem non ſolùm ingrēdi corpus per poros, verùm ab ipſis poris, ſeù ab effluuijs validis à corpore per ipſos exhalantibus intus aduocari, & abſorberi, & ob ſimilitudinem quamdam, & ad hoc, vt eorumdem effuſio per nouum aerem immiſſum reſarciatur.

Hoc

(*d*) *Maiou. tract. de reſpirat. pag. 263.* (*e*) *Sanctor. med. ſtat. ſect. 2. aphor. 30.*
(*f*) *Digbæus in orat. de pulu. ſympat.*

Hoc tandem poterit Hippocratis (*g*) oraculo confirmari; dixit ille eſſe in corpore *confluxum vnum conſpirationem vnam, conſentientia omnia*, ergò liberum aeri commerciũ per vniuerſi corporis, vel minima ſpatia, per quæ ille cæteris omnibus ſubtilior, faciliori negocio diffunditur quàm humores, qui ad ſeruandum vniuerſale in corpore commercium, per liberas pariter vias vndèquaque diſtribuuntur.

Suppoſito igitur aeris in corpus ingreſſu, reliquum eſt diſcutere an ipſe ibi conuerti poſſit in fluida. Elementa inuicem tranſmutari poſſe eſt Peripateticorum dogma vſitatum; ex aqua attenuata aerem fieri, & inuicem ex aere addenſato aquam extillarẽ aſſeritur; poterit igitur, & hoc intrà corpus fieri. Sed quomodo?

Corporis humani interna calore pollent ingenti, non igitur addenſari poterit intrà corpus aer, cum nec repercuſſionem à denſo, nec conſtipationem à frigido obice poſſit acquirere. Dicendum igitur aerem, quem inſpiramus non purum eſſe, ac ęthereum, ſed in ſuis poroſitatibus, ac cauitatibus, quibus refertus eſt iuxtà Helmontium, (*h*) plenum eſſe rerum circumſtantium effluuijs, ac plurimo ſale, quod nitro aereum dicitur, compaginari; igitur, quæ intrà corpus immiſſæ coagulantur in liquorem aeris particulæ, non ſunt ipſius met aeris, prout aer eſt, portiones, ſed effluuia aquoſa priùs in aereum vaporem ſubtiliata, mox in aqueam conſiſtentiam iterum redeuntia, prout fieri in alembico ob-

(*g*) *Hipp. lib. de alim. num. 4.* (*h*) *Helmont. Tumul. peſt. pag. 170. col. 2.*

co obſeruamus. Inſuper ſalia, quibus aer copioſè imbuitur, fluidis intrà corporis vaſa contentis mixta, ſoluuntur, & tranſeunt in liquorem, prout videmus ſal in aquam iniectum ſolui, & in liquorem mutari. Et hìc eſt modus, quo ex aere fit liquor, nempè vel redeuntibus in priſtinam denſitatem particulis, non tam aereis, quàm aqueis, & vaporoſis aeri commixtis, vel ſolutis intrà corporis fluida partibus aereoſalinis, & liquoris quantitatem augentibus.

Prò confirmatione aeris in liquorem intrà corpus mutati, adduci poteſt caſus ille percelebris Romanæ Monialis, obſeruatus à dilectiſſimo Præceptore meo Gabriele à Fonſeca, Viro, cuius in medendo peritiam, eximiamque doctrinam, mirata olim fuit Roma, & poſteri fama perennante venerabuntur, quem refert Seruius, (*i*) cuique conſimilem caſum ex Cardano, narrat Skenchius. (*k*) Mingebat illa quotidiè ducentas circiter vrinæ libras, potum non ſumebat, quin imò à potu abhorrebat ſummoperè; in corpore præexiſtentes humiditates non excernebantur per lotium, vnicæ enim diei excretio non ſolùm eas omnes, ſed & totius corporeæ molis partes ſolidas ferè potuiſſet abſumere; neceſſariò igitur erant aqueæ, & ſalinæ moleculæ in aere aſſiduè, & copioſè intrà corpus ingeſto latitantes in fluidum vrinaceum inceſſanter collectæ; quo pacto autem hoc fieret, non eſt ità clarum. Non enim hoc erat ex parte dumtaxat aeris admiſſi, quem reliquæ Moniales

(*i*) *Seru. de vng. arm. n.* 20. (*k*) *Skench. obſ. med. lib.* 3. *tit. de diabet. obſ.* 6.

niales eodem in loco abſque noxa reſpirabant; igitur potiſſimum ex parte recipientis ſubiecti, in cuius tamen corpore gracili, & per conſequens raræ texturæ non talis pororum occluſio ſupponi poterat, ob quam denegato omnimodò effluuiorum exitu, ea repercuſſa in vrinam ſecederent, quin potiùs exceſſus caloris copioſum aerem impellentis admitti poterat, qui deindè modò ſupradicto verteretur in liquidum: at ſi à ſolo caloris impellentis exceſſu hoc proueniſſet, in febribus etiam vrentibus, hoc ſępè ſępiùs contingeret. Statuatur igitur iuxtà ſuprà citati Digbęi (*l*) ſententiam, huius Monialis corpus ratione vitæ anteactæ, copioſo tartaro imbutum, eoque à caloris vi ſuper aſſato, & calcinato: ab igneo, & excandeſcente calore aer vndequaque intrà corpus in excedenti nimis copia impellebatur, ab huius aduentu ſoluebatur tartarus ille, extillabat in ſuperabundanti quantitate humiditas (tartarus enim calcinatus, vt ipſe idem expertus eſt, aeri expoſitus, nouies ſe ipſo, copioſiorem liquorem effundit) ſoluebantur viciſſim cum hac tartari humiditate particulæ aeris ſalinæ; hinc adhuc magis creſcebat liquoris copia, quæ poſteà in veſicam deponebatur. Exhauſta demùm omni ab hoc tartaro humiditate, ceſſauit non ſolùm immoderata aeris admiſſio, & per conſequens aereorum ſalium in liquorem conuerſio, ſed & vrina ipſa ſuppreſſa fuit per aliquot dies, eaque tandem reuocata, apparuit in ipſa materia quædam calcem referens,

(l) *Digb. in orat. de pulu. ſimp.*

rens, tartari ſcilicet ſuperaſſati, & emuncti, inanes, & exuccæ reliquiæ.

Modus eſt hic, quo poteſt aer intrà Microcoſmi regiones in fluidum abire, vbi nobiliora meteora obſeruare ſimul, & admirari numquam deſiſtimus, quorum, quę olim obſcuritas cęcutienti antiquitati imperſcrutabilis, ſpecioſo proprietatis occultæ titulo palliabatur, ad nouum philoſophandi lumen euanuit, aditumque præbet ingenio, vt in eorum inueſtigatione, & ſublimiter ſpeculetur, & ſubtiliter penetret, & euidenter agnoſcat.



Quare

VIII

Quare fumus carbonum ſuffocet.

PROBLEMA.

INSIDIATVR humanæ vitæ creatum quodcumque: Nocent maleficis aſpectibus ſydera, perennibus diſſidijs ei ruinā elementa ſollicitant: Germinat terra aconyta, & cicutas: morſibus, venenis, moleſtijs animalia, vel minima illi ſe præbent infeſta; quin & inter ciborum delicias, inter voluptatum illecebras ei parantur inſidiæ. Alit homo intrà ſuimet corporis caſtra, non excubias, ſed proditores inteſtina bella parantes, humores nempè morborum progenitores. Aura tenuis, eò peior, quo ignotior, imperſcrutabilis, imperceptibilis, ſed venenata vitam tollit, inimicus odor, fumus ipſe ſtatim ſuffocat, & interimit; exclamare hinc mihi liceat cum Homero. (*a*)

Nil homine in terra ſpirat miſerum magis.

Sed age, ſi tot pericula eludere non poteſt corporis mortalis infirmitas, illudat animæ ratiocinantis acuties, eaque,

(*a*) *Homer. Iliad.* 17.

eaque, vt quoquo pacto vitare poſſit, detegat perſcrutando. Nos cętera relinquentes, fumum carbonum homines ſuffocantem examinabimus. Vtinam inter eius caligines, nobis philoſophicæ veritatis lumen affulgeat: vtinam de fumo participans ſermo, nec oculis, nec auribus veſtris habeatur moleſtus.

Qui fumum dixerunt eſſe corporum ſubſtantiam aqueam craſſiorem, particulis aliquibus terreis non carentem, igni reluctantem, ignifque vi eleuatam, vaporem deſcripſerunt, non fumum; hic ſiquidem omnis humiditatis eſt expers, eſtque ſolummodò exhalatio quædam ſicciſſima à corporis combuſti reliquis portionibus ſeparata, igniſque vi ſublimata, idque oſtendunt eius ſubtilitas, qua vbicumque ſe inſinuat, eius acuties, & mordacitas; quibus pungit, & vellicat. Nec ſimplex adeò eſt hæc exhalatio; quin ſecum alterius rei miſcelam habeat, à qua inuoluitur, & fumi proprium characterem manifeſtiùs acquirit. Hæc eſt vnctuoſa, ac bituminoſa pars in lignis, alijſque rebus combuſtilibus reſidens, quæ quò maiori copia huius bituminis, aut reſinæ ſunt præditæ, eò maiorem, & denſiorem fumi copiam, dùm comburuntur exhalant. Probatione hoc non indiget, cum paſſim vbicumque, & vel in ipſis coquinis, ab imperito quouis hoc ſaltem conſpiciatur, quamuis non aduertatur; aquoſi enim ſi quid in ligno remanet, per eius extremitates reſudat, reſinoſum aſcendit per fumum, & in fuliginem mox concreſcit, quæ ſubſtantia, odore, colore, bituminoſæ

combu-

combuſtionis reliquias exhibet manifeſtas.

Remanent igitur his ſiccis, & reſinoſis particulis per fumum abeuntibus ſpoliata ea ligna, quæ liberè comburuntur, non ſic, quæ in carbones vertuntur; ſuperaggeſta ſiquidem terra lignis in carbonem mutandis, impedit quò minùs exhalationes ſiccæ, & empyreumata ſubtiliora ex ipſis egredientia difflentur, ac bituminoſæ impuritates ſeparentur. Repercuſſus igitur intrà ligna ſemicombuſta iterum ſe fumus reponit, reduces ſecum fert empyreuticas, & reſinoſas particulas per incendium prægreſſum irritatas, ac proindè magis excandeſcentes, quæ vitioſa quadam circulatione facta, conatibus pluribus emiſſionis, & receptionis præcedentibus, tandem intrà ligna, ſeù carbones ſe claudunt: acuuntur, exindè ſalia, quæ intrà ligna illa combuſta remanſerant, & ex miſcela, & contactu impuri ſulphuris, quo neceſſariò ſcatent bituminoſæ particulæ, non ſolùm non repurgatæ, ſed potiùs violenter coercitæ, & repercuſſæ, cauſticam, & malignam conditionem induunt de arſenicali participantem.

Latens hoc intrà carbones venenum per nouam eorum accenſionem exploditur: patet hoc ex ſtrepentibus ſcintillis indè confertim erumpentibus, quæ ſubſultantia ſalia per impulſum foras egredientia denotant. Patet etiam ex fumo, odoreque teterrimo indè exhalantibus, impuri, corruptique ſulphuris, à quo bituminoſi fœtores oriuntur, accenſionem demonſtrantibus.

Pernicioſa hæc effluuia ſi per halitum hauriantur, dubium eſſe non poteſt, quin ſummoperè lędant, vitæque balſamum ſua malignitate obrutum, diſperdant, ac diſſipent. Et quidem diſſipari ab ijs vitales ſpiritus; ſicque hominem mori dixerat Eraſiſtratus cum attenuatus, & ignitus à talibus exhalationibus aer, vel inſpirari non poſſit, vel inſpiratus faciliter euaneſcat; & ſic, deſtitutis pabulo ſpiritibus vitalibus, exinanitum animal moriatur. Irriſit hanc opinionem Galenus, (*b*) & non tenuitate, aut calore nimium exiccante, ſed narcotica quadam, ac peculiari vi nocere has effumationes aſſeruit, cum profectò à magna lignorum accenſorum ſtrue calor emanans non noceat adeò, ac à paucis carbonibus malè accenſis fumus exhalans. Adſtipulari tamen Eraſiſtrato viſus eſt Auicennas, (*c*) qui venenatam conditionem in carbonibus ſuppoſuit quidem, ſed non declarauit; exceſſum tamen ſiccitatis, & caloris diſſipantis ſtabiliuit vndè ſtyptica, & compeſcentia medicamenta propoſuit, camphoram, ſantalos, cortices granatorum combuſtos &c.

Vim tamen non diſſoluentem, ſed in ſummo exiccantem, & omnimodè conſtipantem empyreumati huic, è carbonibus exeunti, tribuerunt alij, vndè prępeditis vaſorum meatibus, & denegato per ea ſpirituum affluxu, ſuccedit apoplexia. Hoc opinati ſunt Q. Caſſius, (*d*) Plinius, (*e*) Mercurialis; (*f*) Chriſtophorus Auc-

(b) Gal. 7. de vſu partium cap. 8. De vtilit. reſpirat. cap. 4. (c) Auicen. lib. de reg. ſanit. tract. 2. (d) Q. Caſſius prob. 12. (e) Plin. lib. 33. cap. 5. (f) Mercur. lib. 3. var. lect. cap. 2.

Auega, (g) & alij, quos Marcellus Donatus (h) in ſua Mirabili Hiſtoria recenſet.

Contraria his fuit aliorum trita magis opinio, conſtituentium, exhalare à carbonibus vapores, non ſubtiles, non exiccantes, ſed turbidos, & craſſos, qui cerebri ventriculos obſtruunt, & in horum occluſione apoplexiam conſiſtere ſomniabant.

Liceat tamen vlteriùs intellectui ſatisfacere, & ſuffocationis huius proceſſum attentiùs obſeruatum ſic explicare. Emittuntur, (vt diximus) à carbonibus dùm accenduntur ſub fumi ſpecie particulæ bituminoſæ ſulphure nidoroſo, & impuro refertæ, ſuamque intrà viſciditatem inuolutas ſecum deferunt particulas ſalis illius cauſtici, & arſenicalis, qui intrà carbones priùs habitauerat, nec pacato, ac ordinato effluuio diſſeminantur per aerem, ſed prout violenter erant intrà carbonum ſubſtantiam carceratæ, ſic inęquali exploſione in illum impingunt, & partim viſciditate ſua particulis aereis conglomerantur, partim proprium ipſius met aeris nitrum alterant, & coinquinant; inſpirari proindè ęqualiter, ac liberè ille non poteſt, eiuſdemque portio, quæ corpus ingreditur particulis impuris ſalinis, viſcidiſque referta, impulſum ſanguini ad hoc, vt moueatur, non affert, ſicque, eius remorato, ac vitiato motu, vita periclitatur, ſuffocatio eſt in promptu. Immiſcentur prætereà particulis ipſius met ſanguinis partiO 2 culæ

(g) *Chriſtof. Auega 3. de art. med. cap. 8.* (h) *Marcel. Donat. hiſtor. med. mir. lib. 2. cap. 6.*

culæ tùm viſcidæ, tùm ſalinæ, quæ fuerant hauſtæ; hinc illę lentiores factæ, & magis coagulatæ, aeris aduenientis non ſecundant afflatus, quapropter neceſſariò præpeditæ, ac agglutinatæ ceſſant à motu, motuque ceſſante, animal ſuffocatur.

Hypotheſim hanc alias habetis à me hìc *(i)* declaratam, qua vitam in ſanguine poſitam huiuſque motum non tam à cordis motu, quàm ab aeris inſpirati appulſu principaliter dependere ſanciui, morique animal tunc aſſerui, cum vel liberè aer non ingreditur corpus ad motum ſanguini liberè, & inceſſanter præbendum, vel in ſanguinis particulis adeſt morboſa conſiſtentia, aeri aditum non præbens, nec motum ipſius circularem aptè coadiuuans. Cum igitur in caſu, de quo loquimur, aer vitioſus debito ordine, ac menſura corpus non ingrediatur, & reſiſtentia ab eius ingreſſu etiã introducatur in ſanguinem, quid mirum ſi pronus ad ſtagnationem fiat, & animal ſic moriatur?

Sed ab alio quopiam violentam ſuffocationem in hoc caſu coadiuuari non inueriſimile mihi videtur, lęſionem inſtrumentis reſpirationi inſeruientibus inferendo; etenim ſalia illa maligna, à carbonibus egreſſa, dùm animalis corpus ingrediuntur, fibrillis ſpiritalium organorum adhęrere facillimè poſſunt, illas ſua mordacitate, & aculeis conuellere, ac in tali conuulſione immotas diù detinere, vndè liberè neceſſariam eorumdem organorum motionem exercere illę non valent, quin

(i) In Probl. de Apoplex. & morte ſubit.

quin potiùs ipſam, aut diminutam faciunt, aut citiùs, quam par ſit, abolitam, & exindè non ſolùm ſufficiens aeris introductio, prò vita conſeruanda, haberi non poteſt, ſed nec poteſt expirari id noxium, quod per inſpirationem fuerat admiſſum, & ſic, non tam malignitatem introductæ exhalationis, quàm impotentiam organi illam expellentis, ſequitur ſuffocatio, quæ profectò non accidit ſi diſcutientia, & exiccantia adhibeantur præſidia, quæ motum ſanguini ſyderato reſtituant, & conſequenter, motione in omnibus corporis particulis facta, inſtrumenta excitent, vt operentur, & inſpiratum venenum expellant, aut ſaltem melioribus ſuccis prò ſui correctione permiſceant. Præſtat hoc apprimè ſanguinis miſſiò, qua ſuffocatos hoſcè miraculi ad inſtar, ſe curaſſe gloriantur Zaccutus, (k) & Pannarolus. (l)

Sed ſicut mouere in his caſibus conuenit, congruum pariter erit nunc quieſcere; ſic mihi inter fumi huius denſitates obſcurè philoſophanti, vlteriùs errare non dabitur: ſic, vos importuno, ac moleſto ſermone ceſſante, reſpirabitis.

Añ, &

(k) Zacc. prax. med. admir. lib. 1. obſ. 20. (l) Pannarol. obſ. med. pentec. 1. obſ. 19.

IX

An, & qua ratione Melancholici putent ſe laborare ijs morbis, quos alijs accidiſſe audiunt.

PROBLEMA.

HYPOCHONDRIACI, importunæ ſcilicet illæ beſtiæ ad perennem Medicorum cruciatum natæ, & ſibi met ipſis noua incommoda melancholicis ſubtilitatibus inceſſanter augentes, peculiari, ac inuſitato timendi modo, morbos, quibus vexantur, perhorreſcunt ſimul, & amant. Illos decuplò maiores imaginantur, & contremiſcunt, eoſdemque vel medicamentorum vi diminutos, vel amicorum ſuaſionibus demulcitos, vel teſtimonio Medicorum declaratos vt leues, nec admittunt, nec credunt, nec volunt; quin potiùs ſi euidenter minoratos perſentiant, obſtinata quadam incredulitate, & cauilloſis ſuſpicionibus morboſos characteres retinere mordicus ſtudent, morbi recedentis antiqua conſortia quodammodò ſuſpirantes,

& eò vſque inter morbos volutari gaudent,vt proprijs, quos patiuntur, non contenti, alienos etiam in ſemetipſis tranſcribant. Inſtitutum de morbo aliquo ſermonem dum audiunt, illicò ſibi appropriant: Medicorum volumina licentioſa auiditate reuoluunt, depictaſque ibi morborum idęas ſibi violenter adaptant, vt inexplebile patiendi deſiderium alant, vt affectatas ægritudines aſſiduè meditentur. (a)

O miſeras hominum mentes! O pectora cæca!

Deliramenti huiuſce cauſas, & modum expoſcitis; & licet quæ rationis aberrant à limite, ſub rationis trutina reducenda non cenſeantur, ſi non ratiocinari ſuper hoc dabitur; aliquid ſaltem imaginari poterimus, aut ſimul cum delirantibus delirabimus.

Affectionem melancholicam ab hypochondriacā, quamuis Authores diſiungant, vix tamen inuenire poterimus hypochondriacum, in quo viſcera exęſtuent, flatulentiæ ſubſultent, parenchymata ſint ad cribrandos, & depurandos ſuccos inepta, ſanguiſque lienari inquinamento vitietur, qui ſimul etiam melancholicis paſſionibus quoquo pacto non infeſtetur, ſicut è conuersò. Quis quis eſt melancolicus, neceſſariò cum idealibus, & chimericis, materialia quoque in viſceribus, & ſuccis vitia coniungit.

Præcipuum tamen vitium plęrumque in liene ſupponit, magnum ſiquidem habet mediantibus neruorum, & fibrarum plexibus cerebrum cum liene commer-

(a) Lucret. lib. 2.

mercium, & à liene ad cerebrum ad ſpirituum animalium fermentationem; ſuccus lienaris aſcendit. Illos igitur, ſi purus eſt, acuit, & melancholicos ſubtiles facit, & ingenioſos; ſi nimis acris eſt, & excandeſcens, ſpiritus adeò ſublimat, vt melancholicos fanaticos reddat, & diuinantes; ſi verò è contrà nimis eſt impurus, & craſſus, mentis turbationes, & erroneas aprçhenſiones inducit, ſi tandem vitriolicus ſit, & aceſcens, ſpiritus ipſos, ſeù ſuccum nerueum ſtupefacit, neruoſas fibras corrugat, & ſpaſmo quodam ligat, indèque retardatis ſpirituum expanſionibus, timor, & triſtitia ſuccedunt.

Sicut autem melancholicus timor ab hac fibrarum neruearum contractione dependet, ſic catenati, & coerciti per eam violenter ſpiritus exploſiones ſuas habent, à quibus ſoluto poſtmodum timore, ſucci neruei motus acuitur, conſtitutio vitiatur, & irritata quædam, nón irradiata partium irrigatio ſubſequitur, ſenſationem quidem acuens, ſed à ſpaſmodico quodam timore penitùs non immunem; hinc exquiſito ſenſu præditi ſunt melancholici, ſed ſimul à qualibet vel leuiſſima re, ſenſibiliùs quam par ſit lçduntur, ità vt potiùs imaginari quandoque videantur, quàm pati.

Quid mirum igitur ſi audita, vel imaginata morboſa aliqua diatheſi, talem in ſemetipſis experiantur commotionem, quæ illam taliter çmuletur, ac ſi realiter adeſſet in corpore? Commotus ſiquidem, & exaltatus à moleſto obiecto fortiter ideato aceſcens ſuccus, in eo-

rum

rum corporibus præexiſtens, nerueas fibras ſpaſmodicè concutit, & indè doloris non imaginata, ſed vera ſenſatio ſubſequitur. Non autem indiſcriminatim, & fortuitò qualibet in parte hæc moleſtia infligitur, ſed ea potiſſimùm in parte hoc euenit, quæ ideato affectui eſt analoga, ac proindè morboſæ affectionis conceptæ poteſt impreſſionem recipere, eo pacto, quo ad ſternutationis, aut oſcitationis motum, ſternutatio, aut oſcitatio ſuccedunt, non aliorum muſculorum, aut fibrarum differentium motus, & etiam inter inanimata, vnius citharæ pulſata chorda, nō alterius citharæ chordę omnes motionē patiuntur, ſed ea ſolummodò chorda, quæ vniuoco ſono priori eſt conſimilis.

Veram ergo nòn fictam patiuntur quomodocumque melancholici paſſionem dùm res morboſas imaginantur, aut audiunt, multoque magis ſi videant, cum ſenſibiliùs morboſa effluuia, ab obiecto emiſſa, recipiant, maiorem concuſſionem patiantur, maioreſque ſucci neruei, ac ſpirituum alterationes; ſed non proindè excuſationem merentur, nec deliramenti liberantur à crimine, ſi leues haſce concuſſiones, ſi fugacia hæc pathemata fortiùs amplexentur, & rationis lumine non diſcutiant. Poſſunt citò, & facilè diſſipari, & priſtinæ quieti reſtitui ſucci, & ſpirituum alterationes iſtæ ab externa cauſa ſuſcitatæ, niſi ab internis motionibus pertinàciter deprauatæ mentis fomentum, & durationem accipiant.

Reſipiſcant igitur melancholici, & hypochondriaci pertinaces, ſolùmque hoc fortiter imaginentur, & firmiter credant, ſe propriarum ærumnarum eſſe miniſtros, nec magis proficuum remedium prò ijſdem arcendis, ac tollendis inueniri poſſe, quàm illud, quod intrà propriæ caluariæ pyxidem continetur.

X

An febrifuga exterius adhibita proſint.

PROBLEMA.

IMMENSAM vniuerſi machinam è profundiſſimis Chaos abyſſis erutam, Omnipotentis voce mirabiliter fabrefactam, attonita apprehenſione ſuſpicere, ac venerari intellectus quidem poteſt, cognoſcere tamen, & examinare vndèquaque non valet. Contemplari illam ſtudet intrà maris ambitum coadunatam, in quo præter aquarum fluenta, terra ipſa, Inſulis circumſcripta, aer, ventorum ſatellitio ſtipatus, ignium portentoſæ ſcaturigines continentur: cui præter innumera piſcium agmina, peculiares addictæ ſunt quadrupedum, & volatilium ſpecies: in quo vegetantur plantarum germina, & mineralia conflantur, cœlumque ipſum, tanquam in ſpeculo reflexam ſui delineat imaginem. Agnoſcit inſuper intellectus orbem epilogatum in homine, cui proindè microcoſmi epi-

thetum irrefragabili omnium conſenſu aſſignatum iam ſcimus. In mari tamen, & homine maiora intellectus dùm concipit, minora penitùs mirari non deſinit, & adhuc incertè fluctuans, quæ frequentiùs, & clariùs videt, exactè non percipit. Periodicos maris motus ſingulis diebus, ſtatutiſque horis, fluxu, & refluxu recurrentes, penetrare nec ipſe Ariſtoteles ſciuit, nec eorum genuinam cauſam hactenus Philoſophorum poſteritas ſtabiliuit. Proteruos maris impetus, excandeſcentem eiuſdem ferociam, debili arenarũ limite coercitam, videmus quidem, ſed improportionatè ſuccedentem tumentibus motionibus obedientiam, & quietem, metiri neſcimus. Pariter, & in homine arcanos febrilium motuum recurſus, diuerſis periodis, ſed æquali proportionis menſura, & ordine, vt plurimùm redeuntes, febrium ipſarum originem, generationis progreſſum, durationis ſpatium, eamque, quam exercet in corpore humano tyrannidem, funditùs, & ad ſatisfactionem Medicina non explicauit. Magiſque adhuc hęſitabunda ex parte remanet, dùm aliquandò videt febres, quæ potentibus, & directis remedijs adhibitis non ceſſerunt, febrifugi alicuius improportionata, obſcuraque vi, de repentè cohibitas, & iugulatas; eoque magis creſcit admirationis occaſio, ſi non internè aſſumptis febrifugis, febris cedat, ſed eiſdem exteriùs applicitis, quin, & ſuperſtitioſè tantùm appenſis, aut ridiculè adhibitis, febris extincta conſpiciatur.

Sed miretur hæc vulgus, & ad libitum credat, dedecet

cet mirari Philoſophum, nec Medicus prudens,ea,quæ priùs ratione non examinauit, admittit. Nos in occulta talium remediorum vi credenda, ignoranter non quieſcimus, ſed nouis ratiocinandi luminibus adiuti,vlteriora audacter inquirimus.

Febris antiquitus per mutationem natiui caloris in igneum, per accenſionem ſanguinis circà cor, ruditer explicata, alteratum,& concitatum in corde,arterijſque motum palam oſtendit, vitiatum ſanguinis, & ſuccorum per eas defluxum conſequenter ſupponit. Hæc autem omnia agens aliquod impellens neceſſariò requirunt. Calor, quem natiuum dicunt,is eſſe non poteſt, quantumuis excandeſcat, aut extranei caloris acceſſu intendatur; pluries enim abſque febre inſultat calor, pluries abſque caloris immodica exuberantia febris inuadit; præterquamquod non ex calore motus, ſed plerumque ex motu calor exoritur.

Vis igitur potiùs irritans, & impulſiua in corde rythmum tollit, & ſuſcitat febriles agitationes in ſanguine, hæc autem vel in ſola cruoris fermentatione, & ebullitione conſiſtit, quatenus vel excrementitij humoris, vel ſucci nutritij crudioris, aut exuberantis, inæqualem, & tumultuariam miſcelam habet, vndè inteſtino motu, turbatur, efferueſcit, ebullit, ſicque, vna eius parte aliam impellente,in omnes vaſorum diuaricationes ſucceſſiuè motus propagatur, cordique tandem communicatur, & creſcit.

Vel

Vel iuxta Borelli (*a*) ſyſtema ab acriori ſucco nerueo prouenit, quatenus is frequentiùs, & violentiùs ſua acredine neruos, & fibras vellicat, cordi inſtillatur, & ſanguini, etiam arterias permeanti, forſan inſpergitur, vndè cordis acceleratur motus, qui in eo per neruos, prout in cæteris muſculis efficitur, & conſequenter tota cruoris circulantis maſſa in tali motione rapitur, & febriliter excandeſcit.

Neutra tamen ex ſupradictis cauſis ſufficere ad motum ſanguinis excitandum, videtur, quandoquidem ſola ſanguinis fermenteſcentis ſecundum ſui particulas motio, ebullientem ſanguinem diſgregare in ſuis particulis poteſt, & eſaltare, non progreſſiuo motu taliter impellere, vt impulſum ſucceſſiuè poſſit cordi etiam communicare. Pariter ſucci neruei acrioris inſtillatio in neruos, & fibras, non motum per ſe in eis accelerat, quinimò aliquo modo retardare potiùs valet, cum acris in neruos res inſtillata, conuulſionem faciat, non motum adaugeat; hinc initio acceſſionis febrilis, quando iuxtà prædictam hypotheſim ſuccus iſte inſtillari incipit frequentiùs in cor, pulſus contrahitur, non acuitur.

Copulatur igitur ad febris calorem, & motum faciendum vtraque cauſa, nec etiam ſufficit, etenim inſpiratus aer, qui ad perennandum, & coadiuuandum ſanguinis, & cordis motum requiritur, (vt aliàs probaui) ipſe etiam ad motionem in hoc caſu concurrit,

vt

(*a*) *Borell. de motu animal. tom. 2. prop. 225.*

vt ſpaſmodicam, in cordis neruis, & fibris inductam, ab acriori ſucco affectionem, explodat. Hinc ab irritatione conuellente ſolutum cor, reduplicat impetum, hinc cum ſanguine communicatur impulſus, & indè is in cor impetuosè recirculat. Quantam autem à contrarijs hiſce motibus luctam cor patiatur, quanta in cruoris ſubſtantia ab aere, ſe ſe violenter inſinuante, diſcerptio fiat, oſtendunt ſatis ſuperque pulſus cum velocitate inęqualitas, & cætera, quæ febrem comitantur ſymptomata, hanc ſanguinis diſruptionem, & multiplicem in eo ſubſultum indicantia.

Hæc quæ circa febrem notauimus, non ēo tendunt, vt in febris analyſi demonſtranda quieſcant, ſed vt oſtenſa multiplici, grauique alteratione, quam cor cum ſanguine patitur dùm febris accenditur, innoteſcat, conſequenter, quale, quantumque debeat eſſe remedium, quo illa ſedatur, & tollitur, præcipuè ſi id, non gradatim, ſed confertim efficere debeat, prout operantur febrifuga, non intus quidem, ſed exteriùs tantùm admota.

Ea ſub triplici claſſe continentur, alia enim carpis, aut ſuprà arterias alibi applicantur, vt inter innumera, zaffirus, plantago, burſa paſtoris, ſemperuiuum, vnguentum populeon, & præ cæteris aranei, aut eorum telæ. (*b*) Alia collo, tanquam amuleta, aut periapta ſuſpenduntur, ſuntque ſigilla, aut peculiares ſignaturæ, aut enormes characterum combinationes. Alia febricitanti non

(*b*) *Areies Elyſ. quæſt.* 70.

ti non admouentur, ſed ab eis aliquid peculiaribus circumſtantijs deſumunt. Sic in vrina ægri ouum coquitur, & formicis comedendum tribuitur, ſic ægri ſanguis calens canibus, alio cibo mixtus, offertur, ſic vnguium ægri reſegmina, dorſo cancri impoſita, demerguntur in flumen, vt cætera omittam, quæ Thomas Bartolinus (*c*) collegit.

Ex his ea, quæ ad tertiam ſpeciem pertinent, ridicula prorſus cum ſint, deriſionem potiùs, quàm animaduerſionem merentur, non enim in vnguibus, non in modico educto ſanguine, non in vrinaceis ſalibus, febrilis fermenti talis, & tanta pars continetur, vt vel in canem, aut formicas comedentes, aut in cancrum deferentem tranſplantari poſſint, libero remanente priori ſubiecto, hæc nempè ſubiecta ad tranſplantationem morbi recipiendam ſunt incapacia, nec vlla adeſt inter ea, & hominem febrientem analogia, ob quam ſympathetica, aut magnetica vis vnius transferatur ad aliud.

Quæ verò ſub ſecunda ſpecie enumerantur, ſiuè ſignaturam cęleſtem præſeferant, ſiuè ſolis characteribus componantur, non ſpectant ad Medicum, cum iuxtà conſuetas, & rationabiles leges non operentur; ſed ſuperſtitioſum, & dæmoniacum, quod cæteris occultant, ſapientibus celare non poſſint, & vel ipſius Plinij (*d*) teſtimonio, piacula ſint, non remedia.

Aptiora igitur febribus tollendis eſſe poterunt illa reme-

(*c*) *Bartolin. hiſt. med. cent.* 8. *hiſt.* 46. (*d*) *Plin. lib.* 28. *cap.* 1.

remedia, quæ in prima claſſe recenſuimus; quęque Medicorum quamplurium teſtimonio inuenta ſunt ſępè febribus ſiſtendis proficua, non occulta quidem vi, ſed manifeſtis effluuijs exeuntibus, & patientis ſubiecto per contactum communicatis. Horum autem effluuiorum atmoſphera quouſque pertingat, qualiſque ſit eorum in agendo modus, ſi examinabimus, longè imparem in eis actioni peragendæ actiuitatem inueniemus, & non reſpondentem vt plurimùm promiſſis effectum, ampliùs non admirabimur.

In febrili paroxiſmo, (vt audiuiſtis) duplici, inęquali, & contrario motu cor inceſſanter concutitur; ſpaſmodicè quidem ab acri ſucco irritante, impulſiuè ab aere violenter immiſſo; ſanguis etiam duplici, & contrario motu diſſoluitur, fermentatiuo nempè, & intrinſeco, quo ebullit, & extrinſeco, quo ab aere intruſo diſcerpitur; adeſt inſuper alieni ſucci cum ſanguine mixti præſentia, adeſt materiæ fermentantis, & irritantis acuties. Quid igitur prodeſſe poterunt ſegnia recenſitarum, & conſimilium rerum effluuia, licèt carpis admota, vt patentioris arterię ductui faciliùs ibi ſe inſinuent? Poterunt forſan febrile fermentum fundere, aut præcipitando à reliquis ſuccis ſeparare? Sed nulla ſubſequens excretio, aliauè mutatio hoc non oſtendit, quamuis ad faciliorem reddendam eorum operationem euacuationes quamplurimæ præmittantur.

Supereſt igitur, vt ſi aliquando hæc febrifuga externa proſunt, id compeſcendo cordis, & ſanguinis vio-

lentos motus efficiant, & quamuis illa, quam habet Mercurius, extrà applicitus, in alterandis ſuccis, energia tribui illis non poſſit, nec facilè ad internos ſuccos aditum ſuis effluuijs parare ſibi poſſint, vt cauſtica; cum pleraque tamen ex ijs fixatiua, adſtringente, ac ſtyptica vi polleant, vt Vvilliſius (e) aduertit, admitti in eis poterit reuinciendi ſanguinis diſcompaginati licentia, eiuſdemque particularum reaptatio, & conſequenter motus alicuius repreſſio; vndè impetu febrili paulatim retuſo, totali quieti imponendæ modus aperiatur, ſi non firmiter, & exactè, ſaltem quantùm patitur operantis remedij fragilitas.

Sed quoniam inter præcipua, quæ exteriùs adhibentur febrifuga, aranei, eorumque telæ communiter afferuntur, agnoſcere adhuc benè non licuit, qua ratione, (ſecluſo occultæ qualitatis, aut ſympathiæ velo) operentur. Crediderim aranei vim quamdam frigidam, ac ſtupefacientem poſſe diſſilientem in febre ſanguinem compeſcere, & reunire, & ſimul maiori, quàm reliqua febrifuga facilitate, ſuccis, intus poſſe communicari, cum ex Scaligero (f) non cutem tantùm, & carnes, ſed veſtimentum, & calceos penetrare poſſit, & indè vim ſuam corpori imprimere. Telis etiam araneorũ vlcera cutis à phlegmone defendi refert Galenus, (g) & nos pariter paſſim ſanguinis effluuia earum appoſitione cohibemus; igitur etiam ſanguinis internas agitatio-

(e) Vuilliſ. de febr. cap. 3. (f) Scalig. exerc. 186. (g) Galen. de ſimpl. med. fac. lib. 11.

tationes ſedabunt. Poſſet quoque aliquis ſuſpicari, emitti ab araneo filamentoſas, ſeù ſtamineas quaſdam moleculas, quæ electrica quadam vi, diſgregatas ſanguinis, febriliter ebullientis, particulas rapiant, & coadunent, ac etiam diſcerptas in ſanguine fibras reficiant, reaptent, & vt denuò vniantur, diſponant.

Vos ſolertiſſimi Viri adductas prò talibus remedijs rationes diſcutite, quas, dùm leuis momenti eſſe cognoſcitis, leuem etiam, & abſtruſam illorum energiam indè colligite. Ad meliora, & veriora adhibenda, Medicinæ, quam exercetis, dignitas, morbi, quem cùratis, conditio, vos ducunt. Hæc agyrtis, hæc inſulſis mulierculis vſurpanda, relinquite, ſunt enim, vt benè nouiſtis, remedia, quæ plùs oſtentationis habent, quàm veritatis.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

AER per Pulmones in ſanguinem ingreditur. pag. 96.
Etiam cum cibis, & per corporis ambitum. pag. 97.
Quomodò per poros ingrediatur. pag. 98.
Per cutis poros ingreſſus ſanguinis recurſum promouet. pag. 99.
An in fluida animantis vertatur. pag. eadem, & ſequenti.
In fluida addenſatus copioſas diabetis vrinas adauget. p. 100.
Ab effluuijs à corpore exeuntibus introducitur, & allicitur intrà corpus. pag. 98.
Animi violentæ paſſiones quomodò mortem ſubitam inferant. pag. 93.
Apoplexia in quo differat à morte ſubita. pag. 93.
Ex acido plerumque fit. pag. 94.
Aranei telæ quomodò operentur carpis admotæ dùm febres fugant. pag. 122.

B

Bituminoſa rerum pars fumum emittit. pag. 104.

C

Cadauerum inflatio quomodò contingat. pag. 13.
Carbones in ſe continent repercuſſas exhalationes, & empyreumata. pag. 105.
Dùm accenduntur explodunt ſalia, impurum ſulphur, & empyreu-

pyreumata, quæ veneni vim habent. pag. eadem.
Eorum fumus an lædat exiccando. pag. 106.
An obſtruendo. pag. 107.
De hoc opinio Authoris. pag. eadem, & ſequenti.
Cocolatis vſus ſenibus vtilis. pag. 65.
Cor in febribus duplici motu concutitur. pag. 121.
Cruſta alba, & craſſa ſanguini per venam educto ſuperinnatans, quid ſit. pag. 76.
Cunarum motio quomodò infantibus ſomnum conciliet. pag. 50.

D

Diabeticorum vrina copioſiſſima ex ſale quodam aer in aquam cogente cumulatur. pag. 101.

F

Febris quid ſit, & ex quo fiat. pag. 117.
An ex efferueſcentia ſanguinis. ibidem.
Non ſolùm ex acriori ſucco per neruos in cor inſtillato producitur. pag. 118.
Ex vtraque cauſa excitatur. ibidem.
Febrifuga externa an proſint. pag. 115.
Sunt in triplici differentia. pag. 119.
Quæ ex ægrotantium recrementis parantur ridicula ſunt. p. 120.
Quæ ſignaturas, & characteres important, piacula dicenda non remedia. ibidem.
Quæ carpis &c. admouentur proficua eſſe poſſunt. pag. 121.
Quomodò operentur. ibidem, & ſeq.
Flatus quatuor modis accipi poſſunt. pag. 2. & ſeq.
Flatus eſt aer commotus, & violenter diſcurrens. pag. 11.
Ex quibus cauſis oriri credatur. pag. 3.
Ex materia craſſa non eleuatur. pag. 4. & ſeq.

Ex aereo quapiam eleuari obſcuritate laborat. pag. 6.
An ex ſpiritibus fixis, & partibus non amicis oriantur, expenditur, & reijcitur. pag. 6. & ſeq.
Flatuum cauſa an ſit materia hæterogenea, & colluctans. pag. 8.
Eorum efficiens cauſa an calor debilis. pag. 9.
An acidum ſtomaticum, & Gas ſylueſtre. ibidem.
An Archeus commotus, & irrequietus ventriculi, & inteſtinorum motus. ibidem.
An fermentatio, & diſſolutio. ibidem.
An bilis ſale oleoſo prædita. pag. 10.
Conciliantur prædictæ opiniones. ibidem.
Non modo ex aeris commotione, ſed ex fibrarum, & viarum tenſione flatus vires ſumunt. pag. 11.
Interdum carminatiuis perperam curantur. pag. 13.
Fœtida hyſtericis medentur, quia diſcutientia. pag. 31.
Fumus quid ſit. pag. 104.

G

Globus per abdomen apud hyſtericas diuagans vndè. pag. 28.
Gluten ſeminale quale ſit, & quid præſtet. pag. 60.

H

Hæreditarij morbi ex infecto parentum ſemine oriuntur. pag. 45.
Præſertim ſi dum in parentibus exaltantur morbi, fœtus concipiatur. pag. 41.
Etiam ex mala grauidarum viuendi norma proficiſcuntur. pag. 42.
Humidum primogeneum an detur. pag. 56.
In quo conſiſtat. pag. 57. & 59.
Hypochondriaca affectio lienem læſum ſupponit. pag. 112.
Hypochondriaci ferè omnes Melancholici. pag. 111.
Hippocrates de motibus vteri loquens explicatur. pag. 25.

INDEX

I

Imaginatæ paſſiones apud Melancholicos veræ ſunt non fictæ. pag. 113.
Infantium regimen quale eſſe debeat. pag. 32.
Infantis lotura non ex tepida tantùm, ſed admixto vino, aut ſale paranda. pag. 46.
Infans non ſtatim atque in lucem egreditur, cibandus, ſed præmittenda, quæ meconium expurgent. pag. 47.
Infans quomodò faſcijs circumducendus, ne ſtructura vitietur. pag. 46.
Infanti an, & quando pulticulæ ſint exhibendæ. pag. 49.
Infantium morbi quomodò curandi. pag. 51.
Infantes tutius purgantur immediatè, quàm per matris lac. ibid.
Infantibus an, & quando ſanguis mitti poſſit. ibidem.

L

Lac maternum cur nutricis lacti plerumque præferendum. pag. 47. *& ſequenti.*
Lac nutricis anteponendum cum lac matris non conducit. ibidem.
Lactis bonitas non ex generali regula, ſed particularibus circumſtantijs deſumenda. pag. 49.
Lac qua mole, & quo tempore infantibus offerendum. ibid.

M

Meconij expurgatio procuranda prius quàm infans alatur. pag. 47.
Melancholici vndè fiat, vt imaginentur ſe ijs morbis affici, quos in alijs aduertunt. pag. 112.
Melancholici ferè omnes hypochondriaci. pag. 111.
Melancholici quare ingenioſi, diuinantes, triſtes &c. pag. 112.

Quare

Quare exquiſito ſenſu præditi. ibidem.
Mors ſubita quid ſit. pag. 91.
Mortis ſubitæ diuerſæ cauſæ. ibidem.
Pro mortuis habiti reuixerunt ſanguinis miſſione. pag. 92.

N

Nutritio quomodo fiat. pag. 81.

O

Odores quomodo mulieres lædant. pag. 30.

P

Puris differentiæ quæ, & quales pag. 75. *& ſequenti.*
Pus è fonticulis, veſicantibus, & ſcabioſis puſtulis non eſt verum. pag. 77.
Pus verum quale. pag. 78.
Pus quomodo fiat. pag. 79.
Non fit niſi ſoluta vnitate. ibidem.
Puris materia qualis. pag. 79.
Authoris circa hoc opinio. pag. 83.
Pus quomodo dicatur ab Hippocrate *alimentum vlceris. pag.* 84.
In Puris generatione quomodo dolores, & febres fiant. pag. 86.

S

Salem infantis loturæ, qua ratione admiſceat Galenus. *pag.* 46.
Sanguinis motus an à motu cordis, an à neruis, an ſuapte moueatur. pag. 89. *& ſequenti.*
Maiori ex parte is aeri debetur. pag. 90.
Sanguis extrauaſatus an in pus verti poſſit. pag. 86. *& ſeq.*
Sanguinis miſſione reuixerunt nonnulli qui habebantur pro mortuis. pag. 92.

Semi-

Semina vegetabilium habent in ſe epilogatam plantam ob ſignaturas ſimiles in ſales redactas. pag. 36.
Habent etiam liquorem ſulphureum. pag. 37.
Semen humanum veriſimile eſt conſtare ex tincturis ſalinis partium ſignaturas redolentibus, & ſucco oleagineo. ibidem.
Decidit ab omnibus corporis partibus. pag. 40.
Sapore eſt acidum. pag. 38.
Semen fœmineum à Neotericis ouum dicitur. ibidem.
Semen virile in vtero exceptum quas alterationes ſubeat. pag. 38. & ſequenti.
Seneſcere in quo conſiſtat. pag. 58.
Seneſcimus quandoque iuuenes. ibidem.
Senectutis bonæ fundamentum iacitur in pueritia. pag. 62.
Senectutem intempeſtiuè accerſunt qui eam arcere opinantur. p. 63.
Senibus victus qualis, & an humidus, an ſiccus præbendus. ibidem, & ſequenti.
Senibus vtilis cocolatis vſus. pag. 65.
Senes quare ieiunium facilè ferant. pag. 66.
Cur non ita ſitim tolerent. pag. 67.
Senibus quale vinum exhibendum. ibidem.
Senum cura qualis. pag. 68. & ſequenti.
An eis cauteria conueniant. pag. 69.
Quid iuueniliū corporum contactus eis communicare poſſit. p. 71.
Sanguinis transfuſio illis non conuenit. ibidem.
Signaturæ rerum ab vtero gerentibus expetitarum quomodo in fœtu imprimantur. pag. 43.
Quomodò à fœtus corpore arceri poſſint. pag. 44.
Scintillarum ſtrepitus vndè. pag. 105.

T

Timor in Melancholicis vndè. pag. 112.
Ex Triangulis animalium ſtructuram deduxit Plato. pag. 61.

Vapor

V

Vapor quid ſit. pag. 104.
Vita in quo conſiſtat. pag. 89.
In Vmbilici ligatura quæ aduertenda. pag. 45.
Vmbilico laxiori, aut breuiori ligato an penis menſura varietur. ibidem.
Vterus ſi non glandulosus, ſpongioſus certè credendus. pag. 18.
Vtero fermentum ineſt. ibidem.
Hoc non eſt acidum, ſed ſimoſum. pag. 19.
Ab eo tum vterus fouetur, atque ad venerem excitatur, tum humanum ſemen ad germinandum diſponitur. ibidem.
Vitiari poteſt dupliciter, vel cum redditur acrius, & ferocius, vndè irritationes, vel coagulans, vndè torpores, & motuum impotentiæ. pag. 2. & 21.
Vterus an loco moueatur. pag. 16.
Negatur, quin potius nimia quiete tunc laborat cum moueri dicitur. pag. 21.
Motus, qui ei adſcribuntur, ſunt effectus reaſſumptionis heterogeneorum fluidorum, quæ modo hìc, modo illic ſpirituum animalium motum perturbant, & ſiſtunt. pag. 23.
Hinc mala hæc tolluntur remedijs diſcutientibus. ibidem.
Vterus quomodo irritatur, & conuellitur cum ſuis ligamentis, vndè imperitis ſui motum imponit. pag. 23. & 24.
De Vteri motu Hippocratis *textus explicatur. pag.* 25. 26. & 27.
Vterus an, & quomodo ſemen fugat. pag. 29.
An, & quomodo dici poſſit, moueri ad ſuauiter, vel inſuaniter olentes. pag. 29. 30. & 31.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

BIBLIOTECA